


LEONIS XIII.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

VOL. IV.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1885

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PLENARIUM CONCILIUM PER EPISCOPOS FOEDERATARUM SEPTENTRIONALIS AMERICAE DITIONUM HABENDUM DECERNITUR, EIQUE PRAESIDENDI MUNUS IACOBO GIBBONS ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI DELEGATUR.

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Rei Catholicae incrementum, Ecclesiarum utilitatem et fidelium commoda ex debito Apostolicae servitutis Nostrae qua patet orbis intendentes, de VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, auditisque Venerabilibus Fratribus foederatarum septentrionalis Americae Ditionum Episcopis, plenarium Concilium mense Novembri, hoc vertente anno, Baltimorae per eosdem Sacrorum Antistites habendum decrevimus, ut iidem Episcopi, collatis consiliis, quae ad evellendos funditusque tollendos, si qui irrepserint, abusus, ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam, ad dioecesium statum ita ordinandum, ut propius ad commune Ecclesiae ius, quatenus fieri possit, accedat, et ad Catholicam

religionem latius propagandam provehendamque, opportuna in Domino iudicaverint, proponant. Iamvero quum Venerabilis Frater Noster Ioannes S. E. R. Presbyter Cardinalis Mac Closkey ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Neo-Eboracensis adversa detineatur valetudine, Tibi, Venerabilis Frater, cuius eximia pietas, doctrinae ac prudentiae laus, singularisque erga Sanctam Sedem Apostolicam fides et observantia, perspecta Nobis est et explorata, praefatum indicendi convocandique Concilium, eique praesidendi munus, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, delegamus. Volumus vero ac praecipimus, ut huiusce Concilii acta omnia et decreta ad Sanctam Sedem Apostolicam pro eorumdem revisione et recognitione quam primum mittantur. Haec decernimus et iubemus non obstantibus, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die IV Ianuarii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno sexto.

TH. CARD. MERTEL

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS MISSIO QUEENSLANDIENSIS ORDINI FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI PROVINCIAE HIBERNICAE DEMANDATUR ET IOANNES HUTCHINSON PRESBYTER EIUSDEM ORDINIS VICARIUS APOSTOLICUS INSTITUITUR.

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum Nobis in sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocatis vel maxime cordi sit, ut sacrae Missiones, per quas Catholica propagatur religio et illuminantur qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ubique vigeant et floreant, ea omnia, quae iisdem Missionibus profutura noverimus, libenti animo decernere solemus. Hac mente consilium VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalium christiano nomini propagando praepositorum probantes, Apostolica Auctoritate Nostra, Queenslandiensem Missionem illustri Ordini Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciae Hibernicae omnino demandamus, pro certo habentes eosdem religiosos viros pro sua pietate, doctrina, prudentia et singulari, quo praestant, rei catholicae provehendae studio,

nihil intentatum relicturos, ut in ea regione uberiores fructus catholica religio percipiat. Praeterea te, dilecte fili, cuius egregiae pietatis, doctrinae, prudentiaeque laudes praeclaris commendantur testimoniis, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, pari Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum, te Vicarium Apostolicum Queenslandiensis Missionis facimus, instituimus ac renuntiamus, tibique omnes et singulas, quae ex iure et consuetudine huiusce muneris propriae sunt, facultates deferimus atque impertimus. Universis autem et singulis ad quos pertinet ac pertinere poterit, praecipimus, ut te in Vicarium Apostolicum recipiant et admittant, tibique faveant, praesto sint et pareant, plenamque exhibeant obedientiam ac reverentiam. Haec volumus ac decernimus non obstantibus, quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die IV Ianuarii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno sexto.

TH. CARD. MERTEL

DECRETUM

DE PRECIBUS, PERACTO MISSAE SACRIFICIO, TOTO ORBE PERSOLVENDIS.

—

Iam inde ab anno MDCCCLIX sa. me. Pius PP. IX, ad impetrandam Dei opem, quam tempora difficilia et aspera flagitabant, praecepit, ut, in templis omnibus Ditionis Pontificiae, certae preces, quibus sacras Indulgentias adiunxerat, peracto sacrosancto Missae sacrificio, recitarentur. Iamvero gravibus adhuc insidentibus malis, nec satis remota suspicione graviorum, cum Ecclesia Catholica singulari Dei praesidio tantopere indigeat, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII opportunum iudicavit, eas ipsas preces nonnullis partibus immutatas toto orbe persolvi, ut quod christianae reipublicae in commune expedit, id communi prece populus christianus a Deo contendat, auctoque supplicantium numero divinae beneficia misericordiae facilius assequatur. — Itaque Sanctitas Sua per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mandavit, ut in posterum in omnibus tum Urbis tum catholici orbis Ecclesiis preces infra scriptae, ter centum

dierum Indulgentia locupletatae, in fine cuiusque Missae sine cantu celebratae, flexis genibus recitentur, nimirum:

« *Ter* Ave Maria, etc.

Deinde dicitur semel Salve Regina, etc. *et in fine:*

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, et praesta; ut, intercedente gloriosa et Immaculata Virgine Dei genitrice Maria, beato Iosepho, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die Epiphaniae Domini VI Ianuarii MDCCCLXXXIV.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE EXUVIIS S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO
IMMEDIATAE APOSTOLICAE SEDIS IURISDICTIONI AC TUTELAE
SUBIICIENDIS.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Provido sane consilio, supremae iurisdictioni suae nonnullorum Beatissimorum Coelitum exuvias Sancta haec Apostolica Sedes subiiciendas censuit, ne nimia clientium suorum aviditate possidendi illorum reliquias, tanta religionis monumenta deficerent. Idque hodie, suffragante etiam dilecto Filio Nostro Dominico titulo S. Marci S. E. R. Presbytero Cardinali Bartolinio Congregationis Sacris ritibus tuendis cognoscendis Praefecto, agere constituimus cum exuviis S. Alphonsi Mariae de Ligorio, Conditoris inclytae Sodalitatis Clericorum Regularium a SS. Redemptore, et S. Agathae Gothorum Episcopi. Ex quo enim Sanctus iste, ob insignis doctrinae Eius praestantiam, sollemni Apostolicae Sedis decreto inter Ecclesiae doctores relatus est, ferventior erga praeclarum Sanctum Doctorem

crevit fidelium pietas, adeoque desiderium obtinendi illius reliquias auctum est, ut dictae Sodalitatis alumnos incesserit timor, ne gravem Patris sui exuviae imminutionem patiantur. Quare a dilecto filio Nicolao Mauron, summo memoratae Congregationis Magistro, supplicatum est Nobis, ut pretiosum hoc depositum immediatae Nostrae et Apostolicae Sedis iurisdictioni ac tutelae subiicere velimus. Hisce permoti precibus Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis haerentes, S. Alphonsi Mariae de Ligorio, Auctoris Congregationis a SS. Redemptore, S. Agathae Gothorum Episcopi et Ecclesiae Doctoris, exuvias, prout Nuceriae Paganorum in Ecclesia ad honorem S. Michaelis extant, Nostrae et Sanctae Sedis Apostolicae potestati ac protectioni perpetuum in modum subiicimus et subiectas manere volumus atque edicimus. Nulli ergo hominum quavis auctoritate praedito, sine expressa Summi Pontificis Romani venia, urnam, in qua sanctae hae servantur exuviae, aperire, aut sacrum istud depositum, vel quamlibet eius partem, unquam auferre aut distrahere, sub poena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici Romano reservatae, liceat, quemadmodum de exuviis SS. Ambrosii, Augustini et Francisci Salesii Doctorum, Antonii Patavini et aliorum quamplurium cautum est; super quibus nullam cuiusque loci Ordinarii propriam obtinent iurisdictionem. Propterea decernimus has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. In contrarium facientibus, quamvis speciali atque individua

mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die I Februarii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno sexto.

TH. CARD. MERTEL

EPISTOLA ENCYCLICA

QUA GALLIAE POPULOS
CONVENIENTER TEMPORIBUS AD OFFICIUM COHORTATUR,
FUNESTOS RELIGIONI ET REIPUBLICAE CASUS COMMEMORAT
ET CATHOLICAE RELIGIONIS PRAECEPTA
IN CONSTITUENDA GUBERNANDAQUE TUM DOMESTICA TUM CIVILI
SOCIETATE RECENSET.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nobilissima Gallorum gens, multis in rebus pace bellove praeclare gestis, singularem quamdam sibi comparavit in Ecclesiam catholicam laudem meritorum, quorum nec interitura est gratia, nec gloria consenescet. Institutis christianis, praeeunte rege Clodovaeo, mature susceptis, hoc sane perhonorificum fidei pietatisque testimonium simul et praemium tulit, ut *primogenita Ecclesiae filia* nominaretur. Ex eo tempore, Venerabiles Fratres, saepe maiores vestri ad magnas res et salutares visi sunt divinae ipsius providentiae adiutores: nominatim vero ipsorum est nobilitata virtus in vindicando ubique terrarum catholico nomine, in christiana fide ad barbaras gentes propaganda,

in liberandis tuendisque sanctioribus Palaestinae locis, ut non sine caussa vetus illud vim proverbii obtinuerit, *gesta Dei per Francos.* Atque his rationibus contigit, ut fideli animo sese pro nomine catholico devoventes, in societatem gloriarum Ecclesiae aliquo modo venire potuerint, et complura publice privatimque instituere, in quibus eximia vis religionis, beneficentiae, magnanimitatis cernitur. Quas patrum vestrorum virtutes Romani Pontifices Decessores Nostri maiorem in modum probare consueverunt, reddendaque pro meritis benevolentia, non semel ornare Gallorum nomen laudibus voluerunt. Amplissimae quidem illae sunt, quas Innocentius III et Gregorius IX, magna illa Ecclesiae lumina, maioribus vestris tribuebant: quorum prior in epistola ad Archiepiscopum Rhemensem, *regnum Franciae,* ait, *praerogativa quadam diligimus caritatis, utpote quod prae ceteris mundi regnis Apostolicae Sedi ac Nobis obsequiosum semper extitit et devotum:* alter vero in epistola ad sanctum Ludovicum IX, in regno Galliae, *quod a devotione Dei et Ecclesiae nullo casu avelli potuit, nunquam libertas ecclesiastica periit, nullo unquam tempore vigorem proprium christiana fides amisit: quin imo pro earum conservatione reges et homines dicti regni sanguinem proprium fundere et se periculis multis exponere minime dubitaverunt.* — Parens autem naturae Deus, a quo mercedem virtutum recteque factorum utique in terris accipiunt civitates, multa Gallis ad prosperitatem largitus est, laudes bellicas, pacis artes, gloriam nominis, imperii auctoritatem. Quod si oblita quodammodo Gallia sui, munus

a Deo demandatum aliquando defugiens, maluit infensos spiritus adversus Ecclesiam sumere, tamen summo Dei beneficio nec diu nec tota desipuit. Atque utinam funestos illos religioni ac civitati casus, quos proximiora aetati nostrae tempora pepererunt, sospes evasisset! Verum posteaquam mens hominum novarum opinionum imbuta veneno, auctoritatem Ecclesiae passim coepit reiicere infinita libertate ferox, cursus praeceps, quo proclive erat, factus est. Nam cum mortiferum doctrinarum virus in ipsos hominum mores influxisset, humana societas huc magnam partem sensim evasit, ut omnino desciscere a christianis institutis velle videatur. Ad hanc perniciem per Gallias dilatandam non parum valuerunt superiore saeculo quidam insaniente sapientia philosophi, qui christianae veritatis adorti sunt fundamenta convellere, eamque philosophandi rationem inierunt, quae excitata iam immodicae libertatis studia vehementius inflammaret. Proxima fuit eorum opera, quos rerum divinarum impotens odium nefariis inter se societatibus coniunctos tenet, quotidieque facit opprimendi catholici nominis cupidiores: an vero maiore, quam uspiam, in Gallia contentione, nemo quam Vos, Venerabiles Fratres, iudicare melius potest.

Quapropter paterna caritas, qua universas gentes prosequimur, sicut alias Nos impulit ut nominatim Hiberniae, Hispaniae, Italiaeque populos, datis ad Episcopos litteris, convenienter temporibus ad officium cohortaremur, ita nunc ad Galliam suadet mentem cogitationemque convertere. — Ea enim molimenta, quae diximus, non

Ecclesiae solum nocent, sed ipsi quoque sunt perniciosa et funesta reipublicae; propterea quod fieri non potest ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. Et sane ubi vereri Deum homo desiit, maximum iustitiae tollitur fundamentum, sine qua bene geri rem publicam vel ipsi ethnicorum sapientes negabant posse; neque enim satis habitura dignitatis est auctoritas principum, neque satis virium leges. Plus apud unumquemque valebit utilitas, quam honestas: vacillabit incolumitas iurium, malo custode officiorum poenarum metu: et qui imperant, facile in dominatum iniustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur. — Praeterea quia nihil est in rerum natura boni, quod non bonitati divinae acceptum referendum sit, omnis hominum societas, quae a disciplina et temperatione sui abesse Deum iubeat, quantum est in se, divinae beneficentiae adiumenta respuit, planeque est digna, cui caelestis tutela denegetur. Itaque quantumvis opibus firma et copiis locuples esse videatur, gerit tamen interitus sui in ipsis reipublicae visceribus inclusa semina, neque spem habere potest diuturnitatis. Scilicet gentibus christianis, non fere secus ac singulis hominibus, tam est inservire Dei consiliis salubre, quam deficere periculosum; eisque illud plerumque accidit, ut quibus temporibus fidelitatem suam erga Deum vel Ecclesiam studiosius retinent, in optimum statum naturali quodam itinere veniant; quibus deserunt, excidant. Has quidem vices in annalibus temporum intueri licet; earumque domestica et satis recentia exempla suppeterent,

si vacaret ea recordari quae superior vidit aetas, cum procax multorum licentia tremefactam Galliam funditus miscuit, rem sacram et civilem eodem excidio complexa.

Contra vero haec, quae certam civitatis ruinam secum ferunt, facile depelluntur, si in constituenda gubernandaque tum domestica tum civili societate catholicae religionis praecepta serventur. Ea enim sunt ad conservationem ordinis et ad reipublicae salutem aptissima.

Ac primo quidem ad societatem domesticam quod attinet, interest quam maxime susceptam e coniugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse coniunctas. Alteras seiungere ab altera idem est ac reipsa velle, ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur: quae disciplina fallax est, et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit. Omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis, quod fidei morumve integritatem offendat. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam caussam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus

quae in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant *mistas* vel *neutras,* aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum. Quibus in rebus parendo Ecclesiae, simul utilitati paretur, optimaque ratione saluti publicae consulitur. Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescunt rerum maximarum, quae in hominibus alere virtutum studia, et appetitus regere rationi contrarios solae possunt. Cuiusmodi illae sunt de Deo creatore notiones, de Deo iudice et vindice, de praemiis poenisque alterius vitae expectandis, de praesidiis caelestibus per Iesum Christum allatis ad illa ipsa officia diligenter sancteque servanda. His non cognitis, male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur.

Deinde illa saluberrima aeque ac verissima, quae ad civilem societatem vicissitudinemque iurium et officiorum inter sacram et politicam potestatem spectant. — Quemadmodum enim duae sunt in terris societates maximae, altera civilis, cuius proximus finis est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera religiosa, cuius est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad quam facti sumus, caelestem ac sempiternam, ita gemina potestas est; aeternae naturalique legi obedientes ambae, et in rebus quae alterutrius ordine imperioque

continentur, sibi singulae consulentes. Verum quoties quidquam constitui de eo genere oporteat, de quo utramque potestatem, diversis quidem caussis diversoque modo, sed tamen utramque constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicae consentanea utriusque concordia; qua sublata, omnino consecutura est anceps quaedam mutabilisque conditio, quacum nec Ecclesiae nec civitatis potest tranquillitas consistere. Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram; propterea quod sicut alteri ab altera praestantur officia mutua, ita certus utilitatis fructus ultro citroque accipitur et redditur.

In Gallia, ineunte hoc saeculo, posteaquam ingentes illi, qui paulo ante fuerant, motus civiles terroresque conquieverant, ipsi rerum publicarum rectores intellexere, haud posse melius fessam tot ruinis civitatem sublevari, quam si religio catholica restitueretur. Futuras utilitates opinione praecipiens Pius VII Decessor Noster, voluntati primi Consulis ultro obsecutus est, facilitate indulgentiaque usus tanta, quanta maxima per officium licuit. — Tunc de summis capitibus cum convenisset, fundamenta posita sunt tutumque iter munitum restituendis ac sensim stabiliendis rebus religiosis opportunum. Et revera plura eo tempore ac posteriore aetate prudenti iudicio constituta sunt, quae ad incolumitatem et decus Ecclesiae pertinere videbantur. Permagnae exinde perceptae utilitates, tanto

pluris aestimandae, quanto gravius in Gallia omnia sacra essent antea prostrata et afflicta. Publica dignitate religioni reddita, plane instituta christiana revixere: sed mirum quanta ex hoc facto in prosperitatem civilem bona redierunt. Etenim ex turbulentissimis fluctibus vixdum emersa civitas, cum vehementer tranquillitatis disciplinaeque publicae firma fundamenta requireret, ea ipsa quae requirebat, oblata sibi a religione catholica percommode sensit; ita ut appareat, illud de concordia ineunda consilium prudentis viri populoque bene consulentis fuisse. Quare, si ceterae rationes deessent, tamen omnino eadem caussa, quae tunc ad pacificationem suscipiendam impulit, nunc deberet ad conservandam impellere. Nam inflammatis passim rerum novarum studiis, in tam incerta expectatione futurorum, novas discordiarum caussas inter utramque potestatem serere, interiectisque impedimentis beneficam Ecclesiae prohibere aut remorari virtutem, inconsulta res esset et plena periculi.

At vero hoc tempore huius generis eminere pericula non sine sollicitudine et angore videmus: quaedam enim et acta sunt et aguntur cum Ecclesiae salute minime congruentia, posteaquam nonnulli infenso animo instituta catholica in suspicionem invidiamque adducere, eaque civitati praedicare inimica vulgo consueverunt. Neque minus sollicitos anxiosque habent Nos eorum consilia, qui, dissociandis Ecclesiae reique publicae rationibus, salubrem illam riteque initam cum Apostolica Sede concordiam serius ocius diremptam vellent.

Nos quidem in hoc rerum statu nihil praetermisimus, quod tempora postulare viderentur. Legatum Nostrum Apostolicum, quoties oportere visum est, facere expostulationes iussimus: quas qui rem publicam gerunt prono se ad aequitatem animo accipere testati sunt. — Nos ipsi, cum lata lex est de collegiis sodalium religiosorum tollendis, animi Nostri sensa litteris consignavimus ad dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Parisiensium datis. Simili modo, missis superiore anno mense Iunio ad summum rei publicae Principem litteris, cetera illa deploravimus, quae saluti animorum nocent, et Ecclesiae rationes incolumes esse non sinunt. Id vero effecimus tum quod sanctitate et magnitudine muneris Nostri apostolici permovebamur, tum quod vehementer cupimus ut accepta a patribus et maioribus religio sancte inviolateque in Gallia conservetur. Hac via, hoc ipso tenore constantiae certum Nobis est rem Galliae catholicam perpetuo in posterum defendere. — Cuius quidem officii iusti ac debiti Vos omnes, Venerabiles Fratres, adiutores strenuos semper habuimus. Revera sodalium religiosorum coacti dolere vicem, perfecistis tamen, quod erat in potestate vestra, ne indefensi succumberent, qui non minus de re publica quam de Ecclesia meruerant. Hoc autem tempore, quantum leges sinunt, in eo evigilant maximae curae cogitationesque vestrae, ut probae institutionis copia suppeditet iuventuti: et de consiliis quae adversus Ecclesiam nonnulli agitant, non praetermisistis ostendere, quantum ipsi civitati essent allatura perniciem. Atque has ob

caussas nemo iure criminabitur, aut aliquo Vos respectu rerum humanarum duci, aut constitutae reipublicae adversari: quia cum Dei agitur honos, cum salus animarum in discrimen adducitur, vestrum munus est harum rerum omnium tutelam defensionemque suscipere. — Pergite itaque prudenter et fortiter in episcopali munere versari: caelestis doctrinae praecepta tradere, et qua sit ingrediendum via in tam magna temporum iniquitate populo demonstrare. Eamdem omnium oportet esse mentem idemque propositum, et ubi communis est caussa, similem in agendo adhibere rationem. Providete ut nusquam scholae desint, in quibus notitia bonorum caelestium officiorumque erga Deum diligentissime alumni imbuantur, et discant penitus Ecclesiam cognoscere eidemque dicto esse audientes usque adeo ut intelligant et sentiant, omnes labores, eius caussa, patibiles putandos. Abundat Gallia praestantissimorum hominum exemplis, qui pro fide christiana nullam ab sese calamitatem, ne vitae quidem ipsius iacturam deprecati sint. In ipsa illa perturbatione, quam commemoravimus, viri invicta fide perplures extiterunt, quorum virtute et sanguine patrius stetit honos. Iamvero nostris etiam temporibus virtutem in Gallia cernimus per medias insidias et pericula satis, Deo iuvante, se ipsam tueri. Munus suum Clerus insistit, idque ea caritate, quae sacerdotum est propria, ad proximorum utilitates semper prompta et sollerti. Laici viri magno numero fidem catholicam profitentur aperto impavidoque pectore: obsequium suum certatim huic Apostolicae Sedi multis ratio-

nibus et saepe testantur: institutioni iuventutis ingenti sumptu et labore prospiciunt, necessitatibus publicis opitulantur liberalitate et beneficentia mirabili.

Iamvero ista bona, quae laetam spem Galliae portendunt, non conservanda solum sed etiam augenda sunt communi studio maximaque perseverantia sedulitatis. In primis videndum est ut idoneorum virorum copia magis ac magis Clerus locupletetur. Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum. — Deinde necesse est in patrocinio religionis multum elaborare lectos viros laicos, quibus cara est communis omnium mater Ecclesia, et quorum cum dicta tum scripta tuendis catholici nominis iuribus magno usui esse possunt. Ad optatos autem fructus maxime est conspiratio voluntatum et agendorum similitudo necessaria. Profecto nihil magis inimici cupiunt, quam ut dissideant catholici inter se: hi vero nihil sibi magis quam dissidia fugiendum putent, memores divini verbi, *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Quod si, concordiae gratia, necesse est, quemquam de sua sententia iudicioque desistere, faciat non invitus, sperata utilitate communi. Qui scribendo dant operam, magnopere studeant hanc in omnibus rebus animorum concordiam conservare; iidem praeterea quod in commune expedit malint, quam quod sibi: communia coepta tueantur; disciplinae eorum, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, li-

benti animo pareant, auctoritatemque vereantur; nec suscipiant quicquam praeter eorumdem voluntatem, quos, quando pro religione dimicatur, sequi necesse est tamquam duces.

Denique, quod facere in rebus dubiis semper Ecclesia consuevit, populus universus, Vobis auctoribus, obsecrare obtestarique Deum insistat, ut respiciat Galliam, iramque misericordia vincat. In ista fandi scribendique licentia pluries est divina violata maiestas, neque desunt qui non modo beneficia Salvatoris hominum Iesu Christi ingrate repudient, sed etiam impia ostentatione profiteantur, nolle se Dei numen agnoscere. Omnino catholicos decet hanc sentiendi agendique pravitatem magno fidei pietatisque studio compensare, publiceque testari, nihil sibi esse Dei gloria prius, nihil avita religione carius. Ii praesertim qui alligati arctius Deo, intra monasteriorum claustra aetatem degunt, excitent nunc sese ad caritatem generosius, et divinum propitiare numen humili prece, poenis voluntariis, suique devotione contendant. His rationibus eventurum, Deo opitulante, confidimus, ut qui sunt in errore resipiscant, nomenque Gallicum ad genuinam magnitudinem revirescat.

In his omnibus, quae hactenus diximus, paternum animum Nostrum, Venerabiles Fratres, et amoris, quo universam Galliam complectimur, magnitudinem recognoscite. Nec dubitamus quin hoc ipsum studiosissimae voluntatis Nostrae testimonium ad confirmandam augendamque valeat salutarem illam inter Galliam et Apostolicam

Sedem coniunctionis necessitudinem, unde nec pauca, nec levia in communem utilitatem bona omni tempore profecta sunt. — Et hac cogitatione laeti, Vobis, Venerabiles Fratres, civibusque vestris maximam caelestium munerum copiam adprecamur: quorum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis universaeque Galliae Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Februarii a. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
DOCTORIBUS FACULTATIS THEOLOGICAE E SOC. IESU
IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA, ET IULIO COSTA ROSSETTI
EX EAD. SOC. DOCTORI ETHICAE ET IURIS NATURAE.
OENIPONTEM

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Reddita Nobis fuerunt per Dilectum Filium Nostrum Ioannem Baptistam S. E. R. Presbyt. Cardinalem Franzelin volumina operum, quae vos ad utilitatem eorum, qui sacras scientias et philosophicas disciplinas colunt, variis temporibus edenda curastis. Gratissimum fuit Nobis, dilecti filii, haec vestra munera excipere, quae filialis obsequii vestri Nobis testimonium praebuerunt; gratissimum pariter perspicere in iis, quae de operibus vestris delibare Nobis licuit, egregiam voluntatem, qua illis documentis inhaeretis, quae Nos ad optimam studiorum rationem promovendam tradidimus, et nobiles curas quibus ad sanam doctrinam illustrandam, tuendam et propagandam

in gravissimarum disciplinarum campo adlaboratis. Quapropter has Nostras litteras ad vos dandas putavimus, ut vobis de vestrorum studiorum fructibus gratulemur, ac meritam laudem tribuamus zelo vestro, quem in tanta grassantium errorum colluvie opportunum admodum et utilem Ecclesiae censemus. Quoniam vero in docendi munere quod geritis plurimos esse scimus disciplinae vestrae alumnos, qui doctrinae et virtuti assequendae operam diligenter navant, hac occasione libenter utimur ut ipsis etiam paternam Nostram dilectionem testemur, vota facientes ut eam spem quam de se praebent, Deo adiutore vobisque cooperantibus, tueri et explere cumulate valeant. Adprecantes demum fontem omnis sapientiae Deum, ut vos iugiter sua luce dirigat, et valida suae gloriae instrumenta esse suo praesidio tribuat, Apostolicam Benedictionem in pignus paternae dilectionis et in auspicium caelestium gratiarum vobis, dilecti filii, et alumnis vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Februarii 1884, Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS ALIQUANTUM RELAXATUR LEX DE MINISTERIO
AB ALUMNIS
CUM PONTIFICII SEMINARII ROMANI TUM SEMINARII PII
ECCLESIAE S. APOLLINARIS PRAESTANDO.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Inclytae fortissimaeque Germanorum Nationi superioribus saeculis, praeter alias laudes, sincerae fidei Christianaeque religionis cultu conspicuae, miserandum in modum ob excitata ab inimico homine de religione dissidia afflictae, remedium afferre intendens fel. rec. Gregorius XIII heic in Alma Urbe Germanicum Collegium instituit. Quocirca deleto titulo cardinalitio S. Apollinaris, extinctisque ibidem praebendis canonicalibus in aedibus templo S. Apollinaris adiacentibus, eiusdem Collegii constituit sedem, ipsiusque templi cultum eidem Collegio certis attribuit legibus. Restituta dein societate Iesu et postliminii iure ab eiusdem societatis sodalibus recepto Collegio Romano, quod ab eiusdem societatis suppressione Pontificium Seminarium Romanum obtinuerat, dictas S. Apollinaris ae-

des inhabitandas, idemque templum colendum fel. rec. Leo XII Praedecessor Noster Pontificio Seminario Romano perpetuum in modum concessit. De recta solidaque Cleri institutione vel magis propter infensa Ecclesiae tempora sollicitus Decessor Noster sa. me. Pius IX novis molitionibus has Pontificii Seminarii Romani aedes amplificavit, ibidemque aliud Seminarium, ad clericos omnium Pontificiae Ditionis dioecesium destinatum, aperuit et ab eius nomine Pium appellari iussit, atque in Apostolicis Litteris de novi huiusce Seminarii institutione IV Kalendas Iunii anno MDCCCLIII inter cetera decernit, ut ab utriusque seminarii alumnis in S. Apollinaris aede nedum sollemnioribus festivitatibus, nonnullisque aliis per annum statis diebus, uti antea Germanici Collegii, ac dein Pontificii Seminarii Romani alumni tenebantur, verum etiam singulis festis diebus sacra Missarum et vesperarum sollemnia peragantur, utque a prima sacri Adventus Dominica, usque ad postremam mensis Iunii, sancta explanentur e suggestu evangelia. Verum quum, in tanta rerum omnium perturbatione, temporum difficultatibus parcendum fuerit, atque in scholis etiam ad S. Apollinaris studiorum ratio, non sine sublimiorum disciplinarum dispendio, immutata sit, idcirco quo utriusque seminarii alumni propriis studiis satiori modo vacare possint, Nobis a dilecto Filio Nostro Raphaele S. E. R. Presbytero Cardinali Monaco La Valletta, Nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali, supplicatum est, ut aliquantum legem, quod ad Ecclesiae S. Apollinaris cultum singulis diebus

festis, a Decessore Nostro praescriptam, relaxare velimus. Itaque Nos gravissimorum temporum intuitu, huiusmodi supplicationibus obsecundandum censuimus; ideoque Apostolica Auctoritate Nostra hisce Litteris, derogantes hac in parte supradictis sa. me. Pii IX Litteris, ceterisque consuetudinibus quibuslibet, volumus et decernimus, ut cum Pontificii Seminarii Romani, tum Seminarii Pii alumni, firmo manente cantu tertiae, Missae sollemnis ac vesperarum in sollemnioribus anni festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschalis Resurrectionis et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Pentecostes, SS. Trinitatis, Sacratissimi Corporis Domini, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis et Assumptionis Sanctae Dei Genetricis Mariae Virginis Immaculatae, S. Iosephi, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Ioannis Evangelistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Aloisii Gonzagae, S. Apollinaris Episcopi et Martyris, S. Mariae a Porticu, Stationis Ecclesiae S. Apollinaris, ac postremis tribus maioris hebdomadae feriis, in reliquis dominicis anni diebus unam dumtaxat Missam cum cantu, et a prima sacri Adventus Dominica usque ad Dominicam SS. Trinitatis exclusive, cum explanatione sancti Evangelii in dicta S. Apollinaris aede celebrare debeant. Ceterum eidem Cardinali pro tempore in Urbe Vicario in spiritualibus generali opportunas et necessarias impertimus facultates, ut pro suo arbitrio, prout in Domino expedire iudicaverit, quidquid ad ministerium ab eorumdem Seminariorum alumnis memoratae Ecclesiae praestandum per-

tinet, in supradictis etiam festivitatibus, reliquisque dominicis anni diebus statuere ac praescribere libere liciteque possit et valeat. Non obstantibus supramemoratis Decessoris Nostri Litteris et consuetudinibus quibusvis, ceterisque, quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XV Februarii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno sexto.

TH. CARD. MERTEL

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS APOSTOLICUS VICARIATUS MONTANENSIS
IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS DITIONIBUS POSITUS
IN DIOECESIM CONSTITUITUR.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Personam Beatissimi Petri Principis Apostolorum, nullis quidem meritis Nostris, gerentes, ex suprema eidem Petro divinitus tradita potestate, novas erigimus dioeceses, quo utilius uberiusque per Episcopos iisdem dioecesibus praepositos, fidelium necessitatibus commoditatibusque consulere possimus. Aucto et crescente in dies Christifidelium numero in territorio, quod, in foederatis Americae Septentrionalis ditionibus positum, vulgari nomine « Montana » appellatur, Oregonensis provinciae ecclesiasticae Sacrorum Antistites, collatis consiliis, iudicarunt e re catholica et maiori illorum fidelium emolumento fore, si Apostolicus Vicariatus Montanensis in dioecesim constitueretur, quam sententiam VV. FF. NN. S. E. R. Cardinales christiano nomini propagando praepositi, exposuerunt. Ab eorumdem VV. FF. NN. consilio, re diligenter

accurateque perpensa, inspectaque fidelium exinde utilitate, supplicatum est Nobis, ut Montanensem Vicariatum Apostolicum in dioecesim erigere auctoritate Nostra velimus. Nos de universi dominici gregis bono solliciti huiusmodi annuentes supplicationibus, Vicariatum Apostolicum Montanensem, in foederatis Americae Septentrionalis ditionibus positum, Apostolica auctoritate Nostra, in dioecesim erigimus atque instituimus, novaeque huius dioecesis Episcopalem sedem in civitate, cui « Helena » nomen, constitutam volumus et ab eadem sede Helenensem dioecesim dici iubemus. Cathedralis autem Ecclesia Helenensis dioecesis, donec aliter provideatur, inita conventione cum sodalibus societatis Iesu, erit templum in honorem Sacratissimorum Cordium dicatum. Eosdem denique ac praedicti Vicariatus Apostolici et civilis iurisdictionis huic Helenensi dioecesi constituimus fines, videlicet, ad septentrionem, gradum quadragesimum nonum latitudinis septentrionalis, quo foederatae ditiones dividuntur a regione Canadensi; ad Orientem, gradum longitudinis occidentalis vigesimum septimum a meridiano civitatis Washington computandum, quo Montana a territorio Dakota seiungitur; ad meridiem, I° gradum latitudinis septentrionalis quadragesimum quintum a puncto, quo eum secat dictus gradus longitudinis vigesimus septimus, ad punctum in quo secatur a gradu trigesimo quarto longitudinis occidentalis; II° eumdem gradum vigesimum quartum ab ultimo puncto intersectionis vergentem ad meridiem quoadusque tangit cacumen montium saxosorum (Rocky Moun-

tains), quibus Montana a Wioming separatur; III° eamdem summitatem montium saxosorum, usque ad apicem montium Radicis amarae (Bitter Root Mountains); tandem ad occidentem, I° summitatem dictorum montium *Bitter Root* vergentem ad septentrionem usque ad punctum intersectionis gradus trigesimi noni longitudinis occidentalis a Washington; II° eumdem gradum trigesimum nonum usque ad gradum quadragesimum nonum latitudinis septentrionalis, quibus ultimis limitibus Montana dividitur ab Idaho. Haec volumus, statuimus, edicimus, non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die VII Martii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

TH. CARD. MERTEL

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
UL. CHEVALIER ALIISQUE REDACTORIBUS
SCRIPTIONUM QUAE SUB TITULO
BULLETIN D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE ET D'ARCHÉOLOGIE SACRÉE
IN LUCEM EDUNTUR.
VALENTIAM IN GALLIA

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Munus quod Nobis obtulistis lucubrationum, quae a vobis stato tempore ad defensionem veritatis et ad eruditionem ac aedificationem fidelium in publicam lucem eduntur, benevolo prorsus animo excepimus. Perspicuum enim Nobis, Dilecti Filii, argumentum praebuit illius studii quo respondere contenditis desideriis Nostris, qui nihil magis optamus hoc tempore, quam ut germanis historiae monumentis mendacia et errores infidorum scriptorum refellantur, ac sanae doctrinae pabulum ad pietatis et religionis utilitatem propagetur. Cum vos hac optima voluntate praeditos esse ostendatis, Nostram laudem libenter zelo vestro tribuimus, ac firmiter confidimus, vos pro eo

filiali obsequio, quod erga Nos et hanc Apostolicam Sedem profitemini, fideliter inhaerentes documentis, quae ab ipsa traduntur, utiles ac salutares fructus, in eo campo in quo versamini, religioni et patriae feliciter allaturos. Gratum porro Nobis erit, Dilecti Filii, ea quae Nobis de studiorum vestrorum laboribus obtulistis, occupationibus muneris Nostri annuentibus, posse delibare; ac interea Deum enixe adprecantes ut vos sua luce dirigat, ac strenuos gloriae suae et religionis ac veritatis adsertores efficiat, paternam Nostram dilectionem vobis testamur, atque in eius pignus et in auspicium caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem vobis singulis universis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Martii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XXIV MARTII AN. MDCCCLXXXIV

AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

—

VENERABILES FRATRES

Post excitatos seditionum fluctus, quorum immanes impetus in excidium civilis romanorum Pontificum principatus expugnationemque Urbis evasere, sicut Pius IX f. r. decessor Noster, ita et Nos Apostolicae Sedis iura tueri omnique contentione vindicare studuimus, prout muneris officiique Nostri ratio postulabat. Similique animi constantia, quoties quid iniqui vidimus in rerum novarum continuatione attentatum, veritatis iustitiaeque patrocinium suscepimus: nominatim hanc vim, quam iamdiu sustinemus, quantum repugnando potuit, propulsandam curavimus.

Verumtamen, arcano permittentis Dei consilio, vehemens illa tempestas diuturnitate non resedit. Quod profecto vix opus est verbis exequi, praesertim apud Vos, Venerabiles Fratres, quibus est id, quod dicimus, quotidiano spectaculo ac prope experimento cognitum. Nihil enim cunctantes inimici in cursu consiliorum suorum, hic

stabilire quotidie firmius res suas moliuntur, omnia circumspicientes quamobrem iure optimo incommutabilique possessione consedisse in Urbe iudicentur. Huc pertinet eorum in agendo considerata dexteritas: rerum eventus per dispositas caussas apparati: captatio, domi, popularis aurae: quaesita foris voluntatum assensio: omnes denique artes, quae ad obtinendam conservandamque potentiam prodesse videantur. Quoniam igitur Ecclesiae romanique Pontificatus rationes quanto magis illi pessumdare adnituntur, tanto Nos studiosius conservare debemus, idcirco hodierna die in hoc amplissimo consessu vestro denuo improbamus damnamusque quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum, itemque testamur, omnia Nos iura eius ex integro et in perpetuum salva velle. Neque vero aut regni cupiditate, aut rerum humanarum appetentia ducimur, quod nonnulli insigni stultitia atque impudentia pari criminantur: sed conscientia permovemur officii, et iurisiurandi religione, et ipsis exemplis Decessorum Nostrorum eorumque virtute et sanctitate magnorum, qui pro conservando principatu civili, quandocumque oportere visum est, summa fortitudine constantiaque dimicaverunt. In quo quidem principatu, praeter legitimas caussas titulosque egregios et varios, inest similitudo et forma quaedam sacra, sibi propria, nec cum ulla republica communis, propterea quod securam et stabilem continet Apostolicae Sedis in exercendo augusto maximoque munere libertatem. Nemo est enim quin sciat, id semper Pontificibus usuvenisse ut, amisso imperio civili, in de-

minutionem incurrerent libertatis; quod rursus vel in Nobismetipsis nunc idem perspici potest sub casus alieni arbitrii varios incertosque subiectis. Nuperrimus ille et gravis de patrimonio, quod haec Apostolica Sedes christiano nomini propagando addixerat. Caussa agebatur cum apostolico officio Pontificis maximi apta in primis et connexa, eademque tanto rebus humanis maior, quanto christianae propagatio sapientiae et salus hominum sempiterna. Atqui tamen operi nobilissimo, quod sapiens Pontificum munificentia instituit, et gentium christianarum aluit liberalitas, vis praesentium temporum non pepercit: ita sane ut ad futuram eius incolumitatem nova Nos inire consilia necessitas ipsa coegerit.

Ista quidem acerba: acerbiora praesentimus, et pati parati sumus. Novimus enim, decretum inimicis esse usque eo Pontificatum romanum iniuriose tractare, ut, ex aliis in alias coniectus difficultates, ad extrema, si fieri possit, urgeatur. Detestabile insanumque propositum: quod, si consentaneum iis est, qui consiliis sectarum nequissimarum inserviunt, et conculcari Ecclesiam mancipiove reipublicae dari gestiunt, profecto longe alienum ab eorum voluntate esse oportet, qui germana patriam caritate diligant, qui Pontificatus virtutem et magnitudinem non praeiudicata opinione sed rei natura metiantur, qui beneficia ipsius tum omnibus gentibus, tum maxime Italorum generi et parta meminerint, et expectanda considerent.

Verum praecipua firmissimaque spe in Deo posita, qui vindex est aequitatis et iustitiae, animum interea a

praesentium cogitatione malorum ad laetiora quaedam revocemus, quae cum Ecclesiae utilitate amplissimique Collegii vestri ornamento colligantur. Nimirum romanae honorem purpurae hodierna die deferre constituimus Iosepho Sebastiano Neto Patriarchae Lisbonensi, et Gulielmo Sanfelice Archiepiscopo Neapolitano, virtutum doctrinaeque laude, muneribus episcopalibus naviter sapienterque gestis, et immota in hanc Sedem Apostolicam fide praestantibus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate itaque omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri et Paulli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales

Iosephum Sebastianum Neto
Gulielmum Sanfelice

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
·AUGUSTO ANTONINO ARCHIEPISCOPO AQUILANO.
AQUILAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum summopere Nobis in votis sit, ut qui vocantur in sortem Domini pietate pariter et scientia floreant, non levem cepimus voluptatem ex officiosis litteris, quas, cum moderatoribus et praeceptoribus Seminarii tui, postridie Idus Martias ad Nos dedisti. Ex iis namque et adiectis narrationibus libenter comperimus ea quae, te praeeunte, in eodem Seminario gesta sunt, ut auspice Deo, eiusque ope invocata, sedes terrae tremoribus et vibrationibus dignoscendis instituta et opportunis instrumentis munita dedicaretur. Nec vero Nobis non admodum probari potuit cura quam geris, ut alumni, qui in spem Ecclesiae succrescunt, non modo bonis artibus et philosophicis sacrisque disciplinis instituantur, sed etiam probe calleant ea scientiarum naturalium incrementa, quibus aetas Nostra maxime

delectatur. Quin imo ad Ecclesiae decus pertinere arbitramur, quod in ecclesiastico ephebeo fiant eiusmodi explorationes quae geodynamicae vocantur, spectantque simul ad pleniorem rerum physicarum agnitionem et ad rationes ineundas queis tutior esse possit publica civium incolumitas. Dum itaque ob eas res meritam tribuimus tibi laudem, et iis qui te ope sua consilioque iuvarunt, petimus a Deo, ut opus, quod es auspicatus, eos pariat utilitatis fructus, quos cogitatione et spe praecepisti, foveat augeatque in clero cui praees scientiarum amorem, et observantiam hominum Ecclesiae administris magis magisque conciliet. In auspicium interim divinae benignitatis Apostolicam Benedictionem tibi, Ven. Frater, praedictis Seminarii moderatoribus, praeceptoribus et alumnis, nec non reliquo clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 Martii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

CONSTANTINO PIERAERTS RECTORI, ADMINISTRIS ET DOCTORIBUS

DECURIALIBUS ACADEMIAE LOVANIENSIS.

LOVANIUM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Accepimus ex litteris vestris, quas die sacra S. Thomae Aquinati ad Nos dedistis, vos quinquagesimo anno iam appetente cum Academia ista, in universa rerum perturbatione superiore saeculo exeunte eversa, Pastoribus istius regionis curantibus, suffragante in primis Gregorii XVI Praedecessoris Nostri auctoritate, felicibus auspiciis restituta fuit, fausti istius eventus sollemnia communi gratulatione celebrare decrevisse, ac Deo scientiarum Domino debitum honorem tribuere gratamque voluntatem testari, quod propitio numine istius nobilissimi studiorum domicilii incolumitati et gloriae prospexit. Hac occasione muneris vestri putastis, Dilecti Filii, huic Apostolicae Sedi, cui Academiae vestrae exordia et iugis sollicitudinis curas

debere meministis, peculiare testimonium fidei, pietatis et obsequii unanimi studio exhibere, declarantes, nihil vobis potius esse quam supremo Eius magisterio firmiter adhaerere, ac divinaė humanaeque sapientiae foedere sancte servato christianae iuventutis bono et utilitati consulere. Gratissimae Nobis fuere huiusmodi vestrae declarationes veris Ecclesiae filiis omnino dignae; nec minus delectati sumus intelligentes ex litteris vestris magno alumnorum numero, qui in spem patriae et religionis succrescunt, sedem istam florere; severiores isthic doctrinas tradi ad eam rationem quam Nobis cordi esse novistis, et omnes a vobis curas impendi ut cum scientiarum et artium laude recta morum disciplina vigeat, atque ita catholicum istud institutum iure ac merito totius gentis ornamentum patriaeque decus existimetur. Aequum igitur est, Dilecti Filii, ut beneficia Dei erga vos hoc tempore potissimum recolentes debitam Ei gloriam gratissimis animis habeatis, atque operam detis, ut, tum ex ea memoria quam celebratis, cuius eo maior est gloria quo maiores utilitates ex ista Universitate in sacram et civilem rem profluxere, tum ex divina protectione, quam feliciter experti estis, animi vestri ad demerendam magis magisque Dei opem et ad partes strenue obeundas nobilissimi vestri muneris alacrius incitentur. De Nobis autem sic volumus persuasum habeatis, Nos Academiam vestram non minori existimatione ac benevolentia prosequi quam olim cum in ista regione versaremur, cuius in Nos studia dulci cum sensu recordamur, immo eo libentius hac occasione gratulationem Nostram

vobis expromimus et dilectionem profitemur quo magis intelligimus, Nos, in prosequendo benevolentiae Nostrae testimoniis ordine vestro, utilem in hoc ipso operam rectae doctrinae, virtuti ac religioni praestare. Votis autem, quae hac opportunitate suscipitis pro incolumitate et dignitate istius nobilissimae disciplinarum sedis, Nostra etiam ex corde coniungimus, Dilecti Filii, et Patrem luminum ac auctorem bonorum omnium effuso cordis affectu rogamus, ut in ea concordia, quam rectus animorum consensus efficit, in filiali observantia Episcopalis auctoritatis, quae summam dignitatis vestrae curam gerit, vestra virtus, doctrina, pietas veluti fax semper praeluceat solidam quaerentibus sapientiam, utque vestrorum alumnorum in omni laudis genere praeclarus ardor spes patriae et Ecclesiae cumulate impleat, ac divina vos benignitate iugiter prosequente, Academia vestra novis in dies incrementis efflorescat prosperitatis et gloriae. Haec ut feliciter ex votis Nostris contingant, Apostolicam Benedictionem vobis, Dilecti Filii, singulis universis cunctisque alumnis disciplinae vestrae, in auspicium omnium caelestium gratiarum et munerum et in pignus paternae dilectionis Nostrae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Martii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE SECTA MASSONUM.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Humanum genus, postea quam a creatore, munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli,* miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatique contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus

contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*[1]. — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Iesum Christum Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente*[2].

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione, Nostrum est

[1] *De Civit. Dei* Lib. XIV, c. 17.
[2] *Ps.* LXXXII, v. 2-4.

indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Iesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno MDCCXXXVIII facta [1]: cuius est a Benedicto XIV [2] confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII [3]: ac Leo XII Constitutione Apostolica « *Quo graviora* » [4] superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eamdem sententiam Pius VIII [5], Gregorius XVI [6], persaepe vero Pius IX [7] locuti sunt.

[1] Const. *In eminenti,* die 24 Aprilis 1738.
[2] Const *Providas,* die 18 Maii 1751.
[3] Const. *Ecclesiam a Iesu Christo,* die 13 Septembris 1821.
[4] Const. data die 13 Martii 1825.
[5] Encyc. *Traditi,* die 21 Maii 1829.
[6] Encyc. *Mirari,* die 15 Augusti 1832.
[7] Encyc. *Qui pluribus,* die 9 Novemb. 1846. Alloc. *Multiplices inter,* die 25 Septemb. 1865, etc.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit, sectam Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos. qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a romanis Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se, latis in id legibus, noxae damnare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia aliisque Italiae partibus.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum

enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum operâ labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere opposita auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis « *Quod Apostolici muneris* » aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps « *Arcanum* » veram germanamque notionem societatis dome-

sticae, cuius est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est « *Diuturnum* », potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa,

qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem: unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere; obligare sibi homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua

loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustria redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere* [1]. Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse ne-

[1] Matth. VII, 18.

quaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

Iamvero Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum: nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice proprium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem caelestibus adiumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera,

nihil ut Ecclesiae magisterium nihil auctoritas in civitate possit: ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scribendo, docendo, impune licet: non iuribus Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, re vera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum fictis de caussis deturbatus est propugnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino

iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis caussa instituissent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis errorem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

. Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatos, eosdemque immor-

tales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursus errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem caussamque dissidii: immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate extitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui

gratiam caelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam;* scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedien-

tes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: proptereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum*[1] putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*, legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum caelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus ani-

[1] Conc. Trid. Sess. VI, *De Iustif.* c. 1.

mus, reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo: hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse: penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinclum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia: integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitratu suo fingere, et, quo velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec

magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri ius habere neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut, mutata voluntate populari, principes de gradu deiici vel invitos liceat. Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse caussam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Haec autem ipsa Massonibus aeque placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliuntur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet ex his quae summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius. Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per Iesum Christum benigne parta neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso habentur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo Satanas in Iesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipua fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. — Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu: divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta

rerum suarum incolumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio Deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob caussam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod vero homines ad coniunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente disrumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum

obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulcram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque dîvinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, proiectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc

immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges: quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes: quibus quo maiores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque

publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebes magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio conscientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius arcessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice

sublevandam. *Sed propterea putant*, ut verba usurpemus Augustini, *vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum* [1]. — Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quanto magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi caussa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus,

[1] *Epist.* CXXXVII, al. III, ad Volusianum c. V, n. 20.

ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstabunt et impedient, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de caussa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimulata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et caussa, congregare se cum eis, eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere.

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod

illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta caussa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine caussa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalium, cuius paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere. Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Iesus Christus hu-

mano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem, quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime praeterea patent illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei caussa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum

utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliaeque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant. Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudolentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi caelestis dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adiutricem et interpretem adhibeamus Mariam Virginem matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, Michaelem: item Iosephum Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum cae-

lestem salutarem: PETRUM et PAULLUM Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia precum futurum confidimus, ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis an. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PAROCHIALI ECCLESIA *LIQUEITIANA*
DIOECESEOS VICTORIENSIS IN BASILICAM ERIGENDA.

—

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sacri Apostolatus ministerium, divina bonitate Nobis ex alto commissum, id potissimum exposcit, ut, inter cetera pastoralis Nostri officii munera, illa quoque omni studio procuremus per quae in Ecclesiis praesertim Deiparae Virgini Mariae dicatis divinus augeatur cultus, et populorum ad eas confluentium magis excitetur devotio; utque pia Christifidelium vota ad haec tendentia optatum sortiantur effectum, opem et operam Nostras libenter interponimus, prout ipsarum Ecclesiarum qualitatibus mature consideratis, in Domino conspicimus salubriter expedire. Oblata siquidem Nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum, Cleri, Communitatis et Populi oppidi nuncupati *Lequeitii* Victoriensis Dioecesis, petitio continebat quod Parochialis illo in oppido extat Ecclesia, cui titulus a Virgine Maria, quae-

que per Hispaniae regiones maxime est celebrata. Pervetustum illius templum octavo ineunte saeculo a fundamentis excitatum, ac dein saeculo decimosexto penitus instauratum et novis additis operibus ampliatum, gothicam praefert structuram, praeclaraque et insignia religionis et artis continet monumenta. Praecipuam vero dictae Ecclesiae gloriam constituit Deiparae Virginis Imago, quam eodem octavo saeculo prodigiose apparuisse historiae referunt, quaeque illic pro cultu maximaque veneratione tamquam dicti oppidi Patrona colitur. Eiusdem porro Virginis auxilium et singularem protectionem *Lequeitii* oppidum haud semel fuit expertum. Cum enim anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo perditorum hominum turbae « *de machinos* » nuncupatae per eas Hispaniae regiones vagarentur, caedibus, incendiis, omnique facinorum genere ea loca divexantes, Lequeitianus populus publicis ad opus indictis precibus, ad eam recursum habuit, ab impendenti clade liberationem impetraturus. Oblatas sibi preces Virgo benigne excepit: nefariae siquidem illae gentes, dum iam Lequeitium versus incederent, superno veluti impulsu commoti, mente mutata, a suscepto consilio destiterunt, dictumque oppidum ab instanti calamitate liberum fuit et immune. Neque Lequeitianae gentes erga sacram illam Iconem pietas et relligio ad haec usque tempora admodum est imminuta. Ad eam enim in publicis privatisque aerumnis ipsae confugiunt, eiusque auxilio, vel in annonae penuria subventas, vel ab aereis tempestatibus servatas, vel ab aliis discriminibus se no-

scunt ereptas. Illuc quoque finitimae regiones publice peregrinantes gratias impetraturae devote accurrunt. Octodecim vero in dicta Ecclesia, veluti collegiali, beneficia ecclesiastica anteactis temporibus erecta manebant, quorum pro tempore rectores, duodecim proprie in eadem Ecclesia, reliqui autem in aliis quinque Parochialibus, quae filiales extabant, sacra peragebant officia. In praesens autem ab anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo secundo haec eadem Parochialis Ecclesia, quae Hispanico idiomate — *de Ascenso* — nuncupatur, unum habet rectorem, cui praesto sunt sex coadiutores. Eius insuper sacrarium plurimis pretiosissimisque sacris supellectilibus ad abundantiam est instructum pro sacris quibusque explendis functionibus, quae maximo illic cultu ac splendore celebrantur. Novissime autem cura et impensa dilecti etiam filii, nobilis viri, equitis *Paschalis de Abaroa*, qui ultra decies centena millia *realium* monetae illarum partium in id contulit, supradictum templum omnino instauratum ac etiam omni cultu mirifice fuit exornatum, ita ut inter praestantiora illius Dioecesis templa merito recenseatur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, multum splendoris ad dictam Ecclesiam accederet, et divinus cultus, fideliumque erga sacram illam Deiparae Virginis Iconem devotio et pietas augeretur, si praefata Parochialis Ecclesia, per Nos et Sedem Apostolicam, in Basilicam, ut infra, erigeretur: quare pro parte dictorum Cleri, Communitatis et Populi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius Ecclesiae splendori, et divini cultus et

devotionis augmento huiusmodi in praemissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur, qui pro pastoralis Nostri officii munere, quantum humilitatis nostrae vires suppetunt, divini cultus incrementum, et Ecclesiarum praesertim Virgini Deiparae dicatarum splendorem et ornamentum promovere studemus, ac spiritualem Christifidelium consolationem sinceris desideramus affectibus, praedictos Clerum, Communitatem et Populum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illosque atque omnes et singulos, quibus praesentes Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictam Ecclesiam *Sanctae Mariae Lequeitii* in Basilicam, ita ut ipsa ex nunc deinceps Parochialis Basilica nuncupari, atque uti talis haberi, atque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis et honoribus, quibus aliae Ecclesiae simili titulo decoratae, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, pariformiter uti, frui, potiri et gaudere possit et valeat, Apostolica Auctoritate, tenore praesentium, erigimus atque extollimus. Decernentes praesentes Nostras Litteras, nullo unquam tempore, ex quocumque capite quantumvis iuridico, pio, privilegiato, ac speciali nota digno, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, aut invalidari unquam

posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi et exceptas fore et esse, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores. ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum etiam et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus quibusvis, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non tamen per clausulas generales idem importantes mentio aut quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis

habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, elationis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo quarto, sexto Calendas Maii, Pontificatus Nostri anno septimo.

Loco ✠ Plumbi

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS TEMPLUM S. DOMINICI BONONIAE SITUM
AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Templa Dei, quae sacrorum monumentorum splendore ceteris antecellant, de more Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, praeclaris titulis privilegiisque augere libenti amore solemus. Haec inter iure est referendum, quod Bononiae extat magnificentissimum Templum, et ab Ordinis Praedicatorum alumnis, qui sex abhinc saeculis illius custodiae praesunt, illustrium est artificum operibus studio indefesso locupletatum, ubique sacrae exuviae S. Dominici Confessoris, eiusdem Ordinis inclyti fundatoris, religiosissime asservantur. Cum igitur a dilecto filio Iosepho Maria Larroca Generali Ordinis Praedicatorum Magistro, universi Ordinis nomine, enixe sint Nobis preces adhibitae, ut, quo insignis haec sacra aedes maiori cultus honore refulgeat, illam ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus; Nos, suffragante quoque dilecto Filio Nostro Dominico S. E. R. Presbytero Cardi-

nali Bartolinio Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Praedicatorum Ordinis Protectore, piis huiusmodi votis, quantum in Domino possumus, benigne annuendum censuimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sopramemoratum Templum Bononiae situm, in Basilicam Minorem, de Apostolica Auctoritate Nostra, vi praesentium, erigimus, illique omnia et singula iura et privilegia concedimus, quibus aliae Minores Basilicae fruuntur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum et inane esse, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die II Maii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

INSTRUCTIO

SANCTAE ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS DE SECTA MASSONUM AD OMNES CATHOLICI ORBIS EPISCOPOS.

—

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum. — At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis Suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ec-

clesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1.° Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes, qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII, ad integrum anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, peculiarem facultatem concedendo omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobatis, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant. — Erit igitur sacrorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris

exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2.° Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes Christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice proponuntur; quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur. — Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi, vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3.° Ne quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae capite 2, n. IV,

Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4.° Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quae licet certo statui nequeat, pertineant necne ad has, quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod, ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem, corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5.° Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suae periucundam, si praeter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quos latius et maximo cum animarnm detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Huma-*

num genus deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberrimum, cum refutatis erroribus, christianae doctrinae vim, praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6.° Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curae sunt convertendae. Atque ad iuventutem quod attinet, adnitendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime serviendum. Iuvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove caelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7.° Perutile etiam est, hinc patres, illinc matresfamilias fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus

unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere et efficacius consulere possint. Plures huius generis consociationes huc illuc inductae sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quae Caelitis alicuius tutelae sese commiserunt, et laetissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8.° De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi caelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus, ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis sese dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9.° Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas*, quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur quantae ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae *Rosario* nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab iis solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vincentii a Paulo vel Marianos quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera, quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10.° Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scientiarum Academiae excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae

sub eorum auspiciis iniri, et quae tum huic tum publicae utilitati magis conferunt, statui possent. — Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11.° Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius, sicut et Supremae huiusce Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum, quoties statum describent dioeceseon, referre ne praetermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria S. Officii die 10 Maii 1884.

RAPHAEL Card. MONACO

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PAROCHIALIS ECCLESIA
LOCI « CASTELNUOVO BERARDENGA » NUNCUPATI
IN DIOECESI ARETINA
ARCHIPRESBYTERALI ET PRAEPOSITURALI TITULO AUGETUR.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Expositum est Nobis, in loco, cui « Castelnuovo Berardenga » vulgo nomen factum, intra dioecesis Aretinae fines, Parochialem Ecclesiam extare, Saraciniae gentis munificentia erectam, structura maxime conspicuam, et sacra supellectile cumulatissime ditatam. Iamvero cum Municipii et civium universorum suffragiis suffultae preces sint Nobis adhibitae, ut eamdem Parochialem Ecclesiam Archipresbyterali et Praeposíturali titulo augere, de Apostolica benignitate Nostra, velimus, Nos votis huiusmodi, quantum in Domino possumus, annuendum libenti animo censuimus. Quae cum ita sint, de Apostolica Auctoritate Nostra, vi praesentium, Parochialem Ecclesiam supramemoratam loci « Castelnuovo Berardenga » appellati, in Dioecesi Aretina, Archipresbyteralem et Praeposituralem

facimus, constituimus et renuntiamus. Hoc vero concedimus ea lege, ut Matricis Ecclesiae Plebanae « de Pacina » vulgo nuncupatae praeminentiae ac iura sarta rite tectaque sint. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum et inane esse, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, etiam speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxx Maii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS.

EPISTOLA

DE CENTENARIA COMMEMORATIONE NATIVITATIS
DEIPARAE VIRGINIS
AD OMNES CATHOLICI ORBIS EPISCOPOS.

—

Vir Eminentissimus Metropolitanae Ecclesiae Colocensis et Bacsiensis in Hungariae Regno Antistes Ludovicus Cardinalis Haynald, humillimis oblatis precibus, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII rogavit, ut, probata aliquorum Theologorum ecclesiasticae historiae peritorum sententia, quae suadet proximo anno 1885 completum iri decimum nonum saeculum ab ortu gloriosae Virginis Dei genitricis Mariae, de eo laetissimo eventu speciale festum solemni ritu celebrandum decerneret in catholico Orbe universo, die octava Septembris eiusdem anni. Postulationi quamplurimi alii subscripserunt ecclesiarum Praesules, inter quos aliquot Emi Cardinales; permulti quoque accessere ecclesiastici viri dignitate clari, et laici religione praestantes: omnes ferventi permoti desiderio novum cultus honorem opponendi probris ac bla-

sphemiis, quibus excelsa Domina a tenebrarum potestate hodie lacessitur, ab eaque, tam propitia oblata occasione, enixius implorandi, ut optatae pacis nostrae sequestra fiat apud Deum, et caelestium administra gratiarum.

Sanctissimus Dominus, rei perspecta gravitate, eam videndam demandavit peculiari Congregationi Eminentissimorum Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum. Quae die 31 mox praeteriti mensis Maii ad Vaticanum coadunata, in primis in hoc themate pervidit obicem, hactenus insolubilem, ex defectu notitiae certae, quae prorsus necessaria esset, veri anni Virginei natalitii; cum eruditi omnes tam veteres quam recentiores, ac ipsi centenarii propugnatores censeant tempus nativitatis Deiparae beatissimae historica certitudine definiri non posse. Quae enim maxime afferuntur documenta, videlicet fragmentum epistolae Evodii, post Sanctum Petrum primi Antiocheni Episcopi, iuxta quod beata Virgo decimum quintum annum agens peperisset huius mundi lucem; et Chronicon Paschale, unde deducere daretur Mariae ortum undecimo anno, ad summum, ante Christum natum contigisse: haec, praeterquamquod secum non cohaerent, ab omnibus melioris notae criticis, validis adductis rationum momentis, facile refelluntur uti apocrypha, aut prorsus dubiae auctoritatis. Hi propterea incunctanter negant fidem esse adiungendam rei, de qua sacrae litterae, veteres Patres, ecclesiasticae historiae et sacrae antiquitatis explorata monumenta nihil omnino tradiderint. Ac sapienter, pro suo more, de hoc ipso scribit Summus Pontifex Benedictus XIV: « Fortasse

nonnemo mirabitur nos de nativitate beatae Virginis nihil afferre; sed cum de ea sacer textus omnino sileat, optimum putavimus et nos de re prorsus incerta tacere, de qua cum plures scribere voluerint, ex turbidis fontibus, quae tradiderunt, hausisse videntur, puta ex Proto-Evangelio, quod Sancto Iacobo falso tribuitur, ex libro de Ortu Virginis qui perperam Sancto Iacobo fratri Domini Nostri Iesu Christi, et a quibusdam Cyrillo Alexandrino adscribitur,...... ex commentitia S. Evodii epistola etc. » (*De festis B. M. V. lib. II cap. IX*).

Consuetudinem autem, quae invaluit, celebrandi sacras centenarias commemorationes, rei praesenti minus congruere deprehensum fuit. Quandoquidem, uti iidem centenarii fautores testantur, expetitum festum prima vice hoc decimonono saeculo foret inducendum, veluti quid novum in Dei Ecclesia, et cunctis retroactis saeculis ne cogitatum quidem ab eximia maiorum erga inclytam Dei Genitricem pietate et devotione, aut certe illis inusitatum. Profecto satis congrua theologica atque liturgica ratione inolevisse censendum est, ut saecularia solemnia, quae aliis sanctis cum Christo regnantibus non denegantur, ea de praecipuis sacratissimis Beatae Virginis vitae actis et mysteriis, scilicet de Nativitate, de Annuntiatione, de Assumptione, ac porro de ceteris non celebrentur. Nam eminentiori veneratione supra ceteros Sanctos colit Ecclesia Caeli Reginam et Dominam Angelorum, cui, *in quantum ipsa est mater Dei...... debetur...... non qualiscumque dulia, sed hyperdulia* (*S. Thom. 3 part. quaest. 25, art. 5*). Ideo-

que plusquam centenaria solemni commemoratione, eadem semper cultus praestantia, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes eius mysteriorum solemnitates; cum de caetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus.

Haec pauca, vel leviter tantum adumbrata, satis ostendunt prudentiam Sacrae Congregationis, quae proposito dubio: « An recoli expediat anno proximo 1885 in toto Orbe centenaria commemoratio Nativitatis Beatae Mariae Virginis? » mature expensis omnibus, unanimi suffragio respondit *non expedire*. Valde tamen laudavit, ac Sanctissimo Domino deferendum voluit, pium tot praeclarissimorum postulantium desiderium exhibendi Genitrici Dei gloriosae novum aliquod obsequii ac filialis amoris publicum argumentum pro novis iniuriis a perditis blasphemisque hominibus ei inlatis; qui, occasione arrepta, etiam in Almae eius Domus Lauretanum Sanctuarium toto orbe celeberrimum acuerunt linguas suas.

Facta vero de his per me infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sententiam in omnibus ratam habuit et confirmavit. Mandavitque ad suprememoratum effectum a R̃mis locorum Ordinariis celebrari in suis Dioecesibus triduana devota solemnia diebus sexta, septima et octava Septembris huius vertentis anni 1884 in honorem Beatissimae Virginis, ad instar eorum quae Romae in templo Sanctae Mariae supra Minervam, iussu eiusdem Sanctissimi Domini, propediem erunt celebranda. Concessitque fidelibus, pro qualibet vice

septem annorum ac septem quadragenarum Indulgentiam; quotidie vero interessentibus, et intra triduum confessis ac sacra synaxi refectis, et ad mentem Sanctitatis Suae Deum orantibus, plenariam Indulgentiam semel lucrandam, etiam animabus in purgatorio detendis applicabilem. Voluit autem huiusmodi triduana festa in Lauretana Basilica omnino peragi: quocirca magnopere probavit, ut a die prima proxime futuri mensis Septembris ad decimam Decembris inclusive piae peregrinationes in eumdem finem ad praefatum Sanctuarium Lauretanum instituantur; concessa, in omnibus ut supra, de thesauro Ecclesiae plenaria Indulgentia semel lucranda.

Haec dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuae communico, Eidem fausta omnia precor a Domino.

Romae in Solemnitate Pentecostes die 1 Iunii 1884.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

A. WYSEUR PRAESIDI ET SODALIBUS

SOCIETATIS UNIVERSAE ALUMNORUM ACADEMIAE LOVANIENSIS.

LOVANIUM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libenter excepimus litteras vestras, quibus vos, solemnia anni quinquagesimi ab instaurata Academia ista Lovaniensi peragentes, communibus studiis egregios filialis vestri animi sensus Nobis expromere voluistis. Cum eas legeremus plurimum Nos delectavit, dilecti filii, tum sincerus religionis amor et veneratio ac obsequium erga Nos et hanc Apostolicam Cathedram quod in illis luculenter enitebat, tum nobilis ardor quo vos incensos ostenditis, ut, in disciplinis excolendis, votis et curis Nostris respondeatis, tum firma illa spes in Deo posita qua in certamine quod Ecclesia sustinet vestros animos erigitis, et omnipotentem Deum lucem e tenebris ac tranquillitatem e turbulenta tempestate adducturum populo suo plene

confiditis. Haec testimonia pietatis vestrae gratissima habuimus, ac Nos qui vehementer dolemus miserum tot iuvenum naufragium, quos error saeculi in impietatis et nequitiae scopulos abripuit, iucunda ex vobis consolatione affecti sumus, laetamque spem ex praeclaris voluntatibus et virtute vestra suscepimus. Vestrum autem est, dilecti filii, vota paterni Nostri cordis implere: vestrum est firmo vestigio virtutis et sanae doctrinae semitam alacriter insistere, nec ullis difficultatibus aut laboribus in muneribus vestris explendis deterreri, cum sciatis labores illos vobis suo tempore gaudium et gloriam et fructus pulcherrimos parituros. Vota porro, quae Nobis obtulistis, dilecti filii, digna omnino pietate vestra invenimus, cum ex iis Dei et Ecclesiae causam vobis maxime cordi esse probetur. Nos pariter summo cordis affectu Deum rogamus, ut vos omnes ad bonum certamen certandum gratiae suae virtute roboret, atque omnes ita suo praesidio custodiat et servet, ut religioni et patriae praeclaro ornamento ac utilitati esse iugiter valeatis. Sit demum auspex caelestium munerum et pignus paternae dilectionis Nostrae Apostolica Benedictio, quam vobis, dilecti filii, singulis universis ac familiis vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PLENARIUM CONCILIUM
AB UNIVERSIS AUSTRALIAE ET NOVAE ZELANDAE
SACRORUM ANTISTITIBUS
HABENDUM INDICITUR, EIDEMQUE PRAESIDENDI MUNUS
FRANCISCO PATRITIO MORAN ARCHIEPISCOPO SYDNEYENSI DELEGATUR.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ecclesiarum omnium sollicitudo, qua ex debito Apostolicae servitutis urgemur, facit, ut omni studio diligentiaque dies noctesque animum iis adiiciamus, quae in catholicae religionis propagationem, in earumdem Ecclesiarum utilitatem, atque in dominici gregis bonum commoditatemque profutura noverimus. Hac mente decrevimus, ut, intra hinc proximum biennium, ab universis Australiae et Novae Zelandae Sacrorum Antistitibus plenarium habeatur Concilium, quo catholica res iis in regionibus magis magisque promoveatur. Ut autem Nostra haec vota cumulate expleantur, et Concilium rite recteque celebretur, uberioresque ac diuturnos afferat fructus, Tibi, Ve-

nerabilis Frater, cuius eximia pietas, doctrina ac prudentiae laus, singularisque erga Apostolicam Sedem fides et observantia perspecta Nobis est et explorata, munus indicendi convocandique supradictum Concilium, eidemque praesidendi, ex suprema potestate Nostra, delegamus. Volumus vero, ut huiusce Concilii acta omnia et decreta ad Sanctam Sedem Apostolicam pro eorumdem revisione et recognitione quamprimum mittantur. Idque decernimus et volumus, in contrarium facientibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die x Iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
EMMANUELI EPISCOPO CONIMBRICENSI.
CONIMBRICAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Excepimus per Nuncium Nostrum in isto Regno commorantem litteras a dilectis filiis Pro-Moderatore, Administris et Alumnis tui Seminarii datas, quibus ipsi suae devotae voluntatis et filialis obsequii Nobis testimonium praebendum censuerunt. Grati admodum, Ven. Frater, Nobis extiterunt eorum omnium optimi sensus, cum ex iis agnoverimus eum in tuo Seminario spiritum vigere, qui egregios fructus isti Dioecesi polliceatur. Atque eo magis delectati sumus praeclaris declarationibus quibus eorum refertae erant litterae, quod his praesertim temporibus maximi momenti putamus eam curam, quae impenditur in recta institutione et disciplina eorum qui in spem Ecclesiae succrescunt, quique pro suo munere, cum ministerii tempus adveniet, strenuam operam saluti ho-

minum curandae, et sanandis societatis humanae malis navare tenentur. Quapropter Nos, Ven. Frater, tum eorum qui tuo Seminario praesunt, tum alumnorum egregiam voluntatem commendamus, ac tuo zelo qui praecipuam curam in re gravissima impendis ultro gratulantes, tibi munus committimus ut iis Nostro nomine patefacias gratum solatium, quod Nobis eorum litterae attulerunt. Optamus porro ut Nostra commendatio iis omnibus incitamento sit, ut in dies alacrius ad praeclaram doctrinae virtutisque sacerdotalis laudem enitantur, quo olim Ecclesiae et patriae ornamento ac praesidio esse valeant, in quem finem Deum etiam bonorum omnium auctorem adprecamur, ut uberrima suarum gratiarum munera in ipsos effundat. Haec eadem, Ven. Frater, caelestia munera tuo etiam Collegio imploramus, in quo magnum adolescentium numerum optimis disciplinis et moribus tua vigilantia et cura institui cognoscimus. Sinceram demum dilectionem Nostram tibi declarantes, Apostolicam Benedictionem, in auspicium divinarum gratiarum tibi cunctisque dilectis filiis, quos memoravimus, nec non universo clero et fidelibus quibus praees peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS TEMPLI SODALITIIQUE STIGMATICIANI PATROCINIUM SUSCIPIT,
ET DOMINICI IACOBINI ARCHIEPISCOPI TYRENSIS
PRIMICERII UNIVERSORUMQUE SODALIUM
EIUSDEM INSTITUTI PIETATEM LAUDAT.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Suavi illa in Beatum Franciscum Assisiensem pietate, quam Nos ab adolescentia conceptam, reliquo vitae cursu studiose retinuimus, perpetuoque retinebimus, permovemur ac prope impellimur, ut magnopere diligamus quaecumque sunt ad honorem maximi sanctissimique viri utiliter instituta. Ex quo fit, ut sodalitatem Nobis vestram ipsa sui natura ratioque commendet: est enim instituti vestri pie colere Franciscum Patrem, praecipuaque religione recordationem eius rei consecrare, qua nihil est ex omni eius vita maius aut mirabilius, sacrorum scilicet stigmatum, quae corpori eius divinitus impressa sunt. Nos quidem memoria tenemus magni testes miraculi Alverniae iuga, cogitandaque cum virtute viri, tum prolixa in eum benignitate divina, incredibili animi iucunditate perfundimur. De Collegio autem vestro, illam libet etiam commemorare laudem, quod nunquam hominibus caruit non solum ge-

nere et dignitate, sed etiam virtute primariis, e quibus alteris lumen illud sanctitatis Iosephus Calasanctius excellit. Vos autem, antiqui decoris disciplinaeque non immemores, id valde studere novimus, ut in aede, quae sedes est sodalitii vestri honos Francisco religiose a populo habeatur, itemque ut officia sacra caste sancteque fiant, nec quippiam ex iis rebus desideretur. quae privatam publicamque pietatem alere atque incitare consueverunt. Ad has, quae dictae sunt, caussae quaedam accedunt, ut nostis, familiares et domesticae, quibus efficitur in vos, dilecti filii, voluntas Nostra propensior. Familiaria quidem recordamur, quae ad naturales caritates pertinent, a proposito tamen aliena minime videntur. Videlicet in ipsa ista aede sacra in pace Christi conquiescunt revicturi cineres Annae Prosperi parentis Nostrae desideratissimae: itemque Iosephi Pecci patrui magni, Antistitis Urbani, qui sodalitati vestrae multos annos magister praefuit. Harum vos rerum cogitatione permoti, unaque simul amoris et obsequii Nobis indicium praebituri, cellam Mariae Virginis Immaculatae in iure et potestate Nostra paullo ante decrevistis futuram. Quod sane Nobis accidit periucundum, eoque nomine gratum animum Nostrum, vobis universis, hoc loco profitemur. Istius autem praeclarae voluntatis vestrae permansura in domo Nostra memoria est et gratia, propterea quod illam ipsam Virginis aediculam in alterum ex nepotibus Nostris posterosque eius iure patronatus transtulimus, idque eo consilio fecimus, ut illi magis magisque ad virtutem pietatis, ad amorem Francisci

Assisiensis invitarentur, simulque ut familiae Nostrae cum sodalitate vestra, coniunctiora vincula, eademque perpetua intercederent. Nunc vero, quoniam avemus paternae benevolentiae Nostrae singulare vobis impertire testimonium et pignus, quod nonnulli ex Decessoribus Nostris aliquando consueverunt in caussa non dispari, vos, resque vestras in clientela tutelaque Nostra in posterum esse volumus. Itaque patrocinium templi sodalitiique vestri stigmaticiani harum Litterarum auctoritate suscipimus, vobisque mandamus, ut quae Nobis, ex more institutoque vestro, polliceri vos obsequii et obedientiae officia oporteret, ea dilecto Filio Nostro Ludovico S. R. E. Presbytero Cardinali Iacobini a negotiis Nostris publicis praesentes praesenti polliceamini. Tuque, Venerabilis Frater, magisterium sodalitatis sicut hactenus gessisti, ita in posterum, arbitrio tamen nutuque Nostro, geres, operamque dare perges. ut in eis, quibus ipse praefectus es, pietas, animorum concordia, studium disciplinae conservetur, augeatur. Vestrae autem partes erunt, dilecti filii, illuc quo vos instituti vocat ratio animose contendere, virtutibusque christianis diligenter exercendis, hoc perficere, ut emineat aliquid in vita moribusque vestris, quod sit magno Francisco dignum, et quod ceteri sibi imitandum putent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XIX Iunii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
CAROLO CHESNELONG PRAESIDI ALIISQUE CATHOLICIS VIRIS
QUI TERTIUM DECIMUM CONVENTUM PARISIIS CELEBRARUNT.
LUTETIAM PARISIORUM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Paternum studium, quo virtutem filiorum prosequimur qui in magna pravitate saeculi suam fidem, constantiam et amorem Ecclesiae Dei sub Pastorum ductu probare contendunt, effecit ut Vestras litteras ad Nos datas occasione novissimi conventus quem istic habuistis, ac declarationes obsequii vestri vestrarumque optimarum voluntatum magno cum gaudio exciperemus. Perspectum quidem iampridem Nobis erat, quo zelo bonum certamen certetis et bonorum Christi militum officio fungamini, de hoc tamen novum argumentum ea, quae vestris litteris ad Nos retulistis, Nobis praebuisse plurimum gaudemus. Congruum enim summopere temporibus et dignum religione ac virtute vestra ducimus, dilecti filii, mutuam vos

animorum concordiam custodire ac fovere, quae optimis consiliis feliciter perficiendis magnum momentum habet; huius Apostolicae Sedis documentis firmiter adhaerere ac ex iis normam ac stimulos capere ad industriam vestram explicandam in iis praesertim rebus, quas Nobis cordi esse cognoscitis; tueri christianae institutionis rationes et praesidia, qua honesti et utiles patriae cives informantur; opem ferre opificum christianorum necessitatibus, iisque portum munire et comparare quo a tristi naufragio feliciter serventur. Cum in his gravissimis rebus vestra virtute et industria elaboretis, propositis vobis ante oculos Nostris Apostolicis litteris. in quibus, quid a fidelibus hoc tempore praestandum sit, aperte declaravimus, facere non possumus, dilecti filii, quin optimam voluntatem vestram impense commendemus, vobisque adiiciamus animos ut sanctam illam caritatis tesseram in dies magis praeferentes, qua Christi discipuli ab aliis secernuntur, strenuam operam proximorum salutis iuvandae iugiter navetis, amplissimam olim mercedem laborum vestrorum a supremo terrae caelique Domino relaturi. Quoniam porro omne datum optimum et donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, Ipsum ex corde rogamus ut vobis omnibus ad ea peragenda, quae ad gloriam suam et fidelium utilitatem pertinent, sua luce et gratia propitius semper adsit, atque efficiat ut laetis et uberibus fructibus pii vestri labores cumulentur. Sit demum auspex omnium caelestium munerum et pignus praecipuae dilectionis Nostrae Apostolica Benedictio. quam vobis singulis universis, dilecti

filii, et iis omnibus qui se bonos aemulatores vobiscum exhibent peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 Iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE MOLDAVIENSI VICARIATU APOSTOLICO
IN DIOECESIM ERIGENDO.

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quae in Christiani nominis incrementum, et dominici gregis bonum commoditatemque cessura novimus, ea ex debito Apostolicae servitutis, quam, inscrutabili Dei iudicio, in persona Beatissimi Petri gerimus, praestare maturamus. Itaque Moldaviensis Vicariatus Apostolici conditionem cogitantibus Nobis visum est e re catholica, eque illarum regionum fidelibus facere, ut idem Vicariatus Apostolicus in proprie dictam dioecesim erigatur. Quare perpensis omnibus diligenterque consideratis, Apostolicum Vicariatum Moldaviensem delemus, ac deletum harum Litterarum vi declaramus, illiusque provinciam in episcopalem dioecesim, Apostolica Auctoritate Nostra, erigimus atque instituimus, novaeque huius dioecesis sedem civitatem Iassy constituimus, et ab eadem civitate nomen eidem dioecesi facimus. Novae autem huius dioecesis eosdem esse volumus fines, quibus Moldaviensis Vicariatus Apostolicus ter-

minabatur. Nobis tamen et Sanctae Sedi Apostolicae servamus facultatem alia de hac nova dioecesi praescribendi. Haec volumus et statuimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane esse, si secus, super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus sit, fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum constitutionibus, ceterisque omnibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XXVII Iunii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOSEPHO EPISCOPO PETROCORICENSI ET SARLATENSI.

PETROCORAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tuas excepimus observantsssimas litteras die 16 huius mensis datas, quae Nobis tui animi angores significabant simulque causas, unde illi ortum habent, patefaciebant. Ea quae te angunt, Ven. Frater, Nobis etiam dolori sunt, cum videamus dissensiones inter catholicos homines non quiescere sed invalescere eo praesertim tempore, quo Ecclesiae ac publicarum rerum in ista regione conditio coniunctionem omnium animorum et virium maxime postulant adversus communes hostes, ad consilia nempe massonicae societatis disiicienda et impetus propulsandos. In his temporum ac rerum asperitatibus quae sit sentiendi et agendi ratio, quam fideles sequi oporteat, quae sit norma ad quam suas mentes et opera dirigere debeant, satis luculenter apparet ex doctrinis ab hac Apostolica Sede traditis, quae tum in Syllabo aliisque documentis illustris decessoris Nostri, tum in Nostris encyclicis lit-

teris continentur. Tota itaque concordiae ratio, quae fideles inter se consociare debet, in eo quaerenda est, ut nempe omnium animi in iis doctrinis amplectendis servandisque consentiant, posthabitis contentionibus quae ad privatas causas et infra res maioris momenti positas referuntur. Quod vero pertinet ad eas scholas in quibus omnis de religione doctrina obmutescere cogitur, pluries iam de iis Nostram sententiam declaravimus. De libris autem, quibus catholica religio impetitur et mores corrumpuntur, praesertim quos Ecclesiae censura peristrinxit, nemini obscurum esse potest fas non esse ut ii in litterarum palaestris adhibeantur. Ceterum persuasum tibi esse volumus, Ven. Frater, Sanctam hanc Sedem de religionis rationibus et de animarum salute sollicitam vigiles curas omni tempore intendere ad ea, quae sive in ista sive in aliis regionibus peraguntur, summumque studium gerere, ut, tempus nacta opportunum, remedia malis adhibeat quae magis congrua rerum necessitatibus in Domino iudicaverit. Haec quae significavimus eo valere cupimus, ut animi tui compescant angores; atque a Deo totius consolationis tibi opem et praesidium ex corde implorantes, Apostolicam Benedictionem, sincerae Nostrae dilectionis testem, tibi cunctoque clero et fidelibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27 Iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
PRESBYTERO PROSPERO DELPECH MODERATORI SOCIETATIS
MISSIONUM EXTERARUM.

PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALUTEM RT APOSTOTICAM BENEDICTIONEM.

Tristia admodum Nobis acciderunt quae in tuis litteris die 17 superiori mense datis de gravi illa procella perlegimus, quae in Laocensium regione unius anno spatio christianos afflixit, quorum plurimi ab inimicis christiani nominis extremo supplicio affecti sunt, adiectis insuper octo sacerdotibus e vestro Seminario sacro illic ministerio fungentibus qui persecutorum odio mactati occubuerunt. Doluimus quidem, dilecte fili, magnam iacturam cogitantes quam expeditio vestra, quae iis gentibus fide illustrandis operam navat, passa est, strenuis illis operariis amissis, qui regno Christi propagando adlaborabant, licet tamen non eos luctu sed praeconio prosequendos existimemus, qui bonum certamen pro Christo certantes, cursum gloriose consumarunt. Firmiter enim confidimus

eos iam esse immortali vita donatos, et apud Deum memores eorum qui in tribulatione sunt positi id agere, ut praesidium et incolumitatem suis, gratiam et opem iis, quos in Christo genuerunt, adprecentur. In hac vero luctuosa rerum conditione penitus intelligimus discrimina, quibus societatis vestrae operarii in extremi orientis regionibus sunt obnoxii; at Nos erigit eosque pariter solari debet ea cogitatio, quod nempe fidelis Deus non patietur eos tentari supra id quod possunt, sed faciet cum tentatione proventum ut possint sustinere. Quapropter cupimus eos fiduciam omnem in Deo ponere, cuius gloriae famulantur, et inter aerumnas confortari in potentia virtutis Eius qui sperantes in se confundi non patitur. Nos quidem non omittemus, dilecte fili, in humilitate cordis Nostri eos enixe commendare Deo, ut verbo virtutis suae eos fortitudine et consolatione repleat, simulque ab Eius clementia poscimus ut novos operarios excitet, eosque virtute induat ex alto et dextera sua tegat ac brachio sancto suo defendat, nec non propitius semper respiciat universam societatem vestram, quam filiorum suorum virtus illustrat, eiusque pia opera tueatur ac luctum vestrum in gaudium convertat. — Haec a Divina benignitate implorantes tibi, dilecte fili, atque omnibus quibus praees paternam Nostram dilectionem ex animo profitemur, ac Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam, in omnium caelestium gratiarum auspicium, singulis universis, et praecipue iis qui in tribulatione versantur, novisque operariis, qui ad iacturas reparandas

in messem Domini profecturi sunt, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 2 Iulii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PONTIFICALIUM ORNAMENTORUM USUS
PRAEPOSITO TEMPLI VINDOBONENSIS
DEO SALVATORI SACRI
CONCEDITUR.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Similibus Litteris nuperrime a Nobis datis, ad Praepositurae dignitatem eveximus templum Deo Salvatori sacrum ex voto Vindobonae aere publico extructum ob servatam a nefario scelere vitam incolumem carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici; quod sincerae erga Datorem bonorum omnium pietatis illorum fidelium hanc Deo gratiam acceptam, uti par est, referentium, singularisque erga suum Principem amoris studiique perenne manebit monumentum. Qua religione fidelitateque permoti, supplicationibus etiam modo Nobis admotis, quibus pro eiusdem templi Praeposito Pontificalia postulantur ornamenta, libenti animo obsecundandum censuimus. Quare

singulos omnes, quibus hae Litterae Nostrae favent, peculiari complecti volentes benevolentia, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, dilecto filio Godefrido Marschall hodierno memorati templi Praeposito, eiusque in Praepositi eiusdem templi munere successoribus, Pontificalium ornamentorum in sollemnioribus functionibus eodem in templo celebrandis usum, servatis tamen iis, quae ex sacris ritibus servanda praescribuntur, perpetuum in modum concedimus atque elargimur, ex lege, ut dilecti filii Godefridi praepositi successores, nisi prius impetrata a singulis legitimi Ordinarii Viennenis venia, iisdem Pontificalibus insignibus uti nequeant. Id concedimus et volumus, decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata, eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane esse, si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quamvis speciali atque indi-

vidua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XV Iulii MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
MICHAELI HELMBERGER PAROCHO ALIISQUE CURATORIBUS
PRO CATHOLICO CONVENTU AMBERGAE CELEBRANDO CONSTITUTIS.
AMBERGAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex litteris vestris, quas exeunte mense Iulio accepimus, libenter intelleximus conventum catholicorum Germaniae in Ambergensi oppido labente mense Augusto habendum esse, ac prudens consilium agnovimus, quo, ex sententia spectatissimi Pastoris vestri aliorumque gravium virorum, haec sedes ad australem Germaniae partem posita hoc anno potissimum delecta fuit. Cum Nos probe perspiciamus, dilecti filii, quantopere intersit hoc tempore studia viresque fidelium ad fidei integritatem rectamque morum disciplinam tuendam et iura Ecclesiae adserenda, sub auctoritate Pastorum, coniungi, non possumus non impense laudare zelum vestrum aliorumque omnium qui utilissimo ac nobilissimo huic operi suas curas impendunt, ac stu-

dent opportunitatem praeberi latumque campum patere omnibus Germaniae catholicis, in quo eorum peritia, eorum virtus et industria in rei catholicae rationibus defendendis et promovendis exeratur. Haec porro praeclara agendi ratio iucunditatis et consolationis causa Nobis est, cum constantiam et firmitatem vestram in bono certamine certando luculenter ostendat, ac iis testimoniis quae perpetuo habuimus zeli et virtutis Germaniae fidelium eorumque filialis obsequii erga Apostolicam Sedem novum ac praeclarum argumentum adiiciat. Quoniam vero superiores conventus vestros, Deo adiuvante, salutares fructus protulisse cognoscimus, minime ambigimus eum etiam, quem celebraturi estis, magnam bonorum segetem allaturum. Hanc Nobis firmam fiduciam praebet, dilecti filii, eximia religio et pietas vestra, qua Deiparae Virginis, quae in religiosa aede prope istum Ambergense oppidum colitur, potens praesidium peculiari supplicatione ad felicem laborum vestrorum exitum implorare decrevistis. Non enim dubitamus quin Sancta Dei Mater vos omnes religionis rationibus operam navantes propitia respiciat, ac pia studia vestra suae benignitatis muneribus prosequatur. Nos interea egregiae voluntatis vestrae significationes paterno affectu complectentes, vobis ac omnibus in divino nomine congregatis, Deipara conciliatrice interposita, adprecamur ex corde ut gratia D. N. Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, ac in auspicium divini praesidii et in pignus sincerae dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem

vobis ac fratribus vestris universis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Augusti 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS IN NONNULLIS INDIARUM ORIENTALIUM VICARIATIBUS EXTRAORDINARIAE IURISDICTIONI ARCHIEPISCOPI GOANI FINIS IMPONITUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Studio et vigilantia mirabili, Romani Pontifices Decessores Nostri omnia semper circumspexerunt, ut in longinquis Indiarum Orientalium regionibus christiana religio iam inde ab eo tempore, quo his locis effulsit, faustis incrementis in dies floresceret, et fidei integritas sarta tecta servaretur. Id tum sacrae expeditiones Apostolicae Sedis auspicio iussuque susceptae, tum Dioecesium et Apostolicorum Vicariatuum institutiones, tum Sacrorum Antistitum designatio, lataeque leges in eorumdem Vicariatuum procuratione servandae testantur. Sed labentibus annis vafer humani generis inimicus intercessit, et exortis deinde dissidiis inter Clerum iurisdictioni Venerabilis Fratris Archiepiscopi Goani obnoxium et Apostolicos Vicarios, provisoria ratione ad ea dirimenda visum est ex-

traordinariam providentiae formam adhibere circa curam et administrationem eorum locorum, quae, extra Goanam Dioecesim sita, Dioecesium Suffraganeorum terminis continebantur, quaeque tunc a Vicariorum Apostolicorum auctoritate et obedientia segregata erant. Eaque de causa eidem Archiepiscopo Goano extra ordinem et ad praefiniti temporis spatium delegata est iurisdictio in praefatis regionibus nomine S. Sedis Apostolicae exercenda, cuius praefinitum temporis intervallum pluries prolatum fuit. Iamvero ex nunciis Nobis allatis certissimisque documentis constitit religiosam Indiarum Orientalium conditionem pluribus abhinc annis minus recte se habere, adeo ut ex gravibus perturbationibus metuendum sit ne catholicorum fides periclitetur, et infidelium ad illam conversio nec non religionis impediatur incrementum. Miseram hanc illarum regionum conditionem considerantes, perspeximus praecipuam esse causam, duplicem nempe, quae in iisdem locis ab utraque auctoritate libera exercetur, iurisdictionem, et vastissimam illarum regionum amplitudinem, qua Archiepiscopus Goanus impar est illis advigilando pastorali, qua opus esset, sollicitudine. Quare ex officio supremi Apostolatus divinitus Nobis demandati, sempiternaeque tot animarum salutis iactura permoti, remedium tantis afferre malis cupientes, duplici huic iurisdictioni in iisdem regionibus exercendae finem imponendum esse, et quae praesertim ad Vicariatus Apostolicos Hyderabadensem, Pondicheriensem, Calcuttensem, Peninsulae Malayensis, Bengalensem Orientalem, Columbensem et Iafnensem pertinent com-

ponenda censuimus. Itaque mature omnibus hac de re consideratis et expensis, de consilio tum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Christiano nomine propagando, tum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ecclesiasticis negotiis extra ordinem expediendis praepositorum, per decretum huius postremae congregationis die 1. Aprilis hoc anno editum iussimus extraordinariam, quae ab Archiepiscopo Goano ex huius Sanctae Sedis delegatione exercetur in praedictis Vicariatibus Hyderabadensi, Pondicheriensi, Calcuttensi, Peninsulae Malayensis, Bengalensi Orientali, Columbensi et Iafnensi iurisdictionem ad sex menses tantum, nempe usque ad trigesimum mensis Septembris huiusce anni MDCCCLXXIV diem prorogari. Quo termino exacto Archiepiscopi Goani in dictis Vicariatibus iurisdictionem omnino finem habere volumus, exindeque eadem loca Vicariorum tantum Apostolicorum iurisdictioni et auctoritati integre subiici decernimus atque edicimus, et Goani Archiepiscepi iurisdictionem, ex delegatione Apostolica extra ordinem eidem in iisdem regionibus impertitam, a prima Octobris huius anni die in omnibus desiisse declaramus et iubemus. Proinde universo illarum regionum clero et populo praecipimus, ut a prima praedicti mensis Octobris die Vicariis Apostolicis dicto sint audientes, iisque pareant, atque ab ipsis tantum opportunas facultates iurisdictionemque excipere debeant. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus Apostolicis ceterisque omnibus, quamvis speciali atque individua mentione ac deroga-

tione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Hortamur denique omnes et singulos, sive e clero sint sive e populo dictarum regionum, ut uno corde et anima una suos Vicarios tamquam proprios Pastores unice cognoscant, eorumque salubria monita reverenter excipiant et impleant, ut Christiana religio, cuius incolumitas charitate continetur, detrimentum ne capiat, et ipsi in Romani Pontificis obsequio et communione, ut par est, constanter permaneant.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XXVI Augusti an. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA ENCYCLICA

DE PERSEVERANTIA IN EA PRECANDI RATIONE ET FORMULA QUAE *ROSARIUM MARIALE* DICITUR.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Superiore anno, quod singuli novistis, per litteras Nostras Encyclicas decrevimus, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad caeleste praesidium laboranti Ecclesiae impetrandum, magna Dei Mater sanctissimo Rosarii ritu, Octobri toto, coleretur. In quo et iudicium Nostrum et exempla sequuti sumus Decessorum Nostrorum, qui difficillimis Ecclesiae temporibus aucto pietatis studio ad augustam Virginem confugere, opemque eius summis precibus implorare consueverunt. — Voluntati vero illi Nostrae tanta animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor exstet in populo christiano, et quantam in caelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponant. Quem quidem declaratae pietatis et fidei fervorem Nos, tanta molestiarum et malorum mole gravatos, non mediocri consolatione leniisse profitemur, imo animum ad-

didisse ad graviora quoque, si ita Deo placeat, perferenda. Donec enim spiritus precum effunditur super domum David et super habitatores Ierusalem, in spem certam adducimur, fore ut aliquando propitietur Deus, Ecclesiaeque suae miseratus vicem, audiat tandem preces obsecrantium per Eam, quam ipse caelestium gratiarum voluit esse administram.

Quapropter insidentibus causis, quae Nos ad publicam pietatem excitandam, uti diximus, anno superiore impulerunt, officii Nostri duximus, Venerabiles Fratres, hoc quoque anno hortari populos christianos, ut in huiusmodi precandi ratione et formula, quae *Rosarium Mariale* dicitur, perseverantes, sibi validum magnae Dei Genitricis patrocinium demereantur. Cum enim in oppugnatoribus christiani nominis tanta sit obstinatio propositi, in propugnatoribus non minorem esse oportet constantiam voluntatis, quum praesertim caeleste auxilium et collata nobis a Deo beneficia, perseverantiae nostrae saepe soleant esse fructus. — Ac revocare iuvat in mentem magnae illius Iudith exemplum, quae almae Virginis typum exhibens stultam Iudaeorum repressit impatientiam, constituere Deo volentium arbitrio suo diem ad subveniendum oppressae civitati. Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum expectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu. — Agitur enim et nunc de ardua ac magni momenti re, de inimico antiquo et vaferrimo in elata potentiae suae acie humiliando; de Ec-

clesiae eiusque Capitis libertate vindicanda; de iis conservandis tuendisque praesidiis, in quibus conquiescere oportet securitatem et salutem humanae societatis. Curandum est igitur, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus Marialis Rosarii sanctissima consuetudo studiose pieque servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces cum ita sint compositae ut omnia ex ordine salutis nostrae mysteria recolant, maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae.

Et ad Italiam quod attinet, potentissimae Virginis praesidium nunc maxime per Rosarii preces implorare necesse est, quum nobis adsit potius, quam impendeat, nec opinata calamitas. Asiana enim lues terminos, quos natura posuisse videbatur, Deo volente, praetervecta, portus Gallici sinus celeberrimos, ac finitimas exinde Italiae regiones pervasit. — Ad Mariam igitur confugiendum est, ad eam, quam iure meritoque salutiferam, opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens propitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat, impuramque luem a nobis longe depellat.

Quaproter adventante iam mense Octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno iterum praecipere statuimus. — Decernimus itaque et mandamus, ut a prima die Octobris ad secundam consequentis Novembris in omnibus curialibus templis, sacrariisve publicis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Rosarii deca-

des, adiectis Litaniis, quotidie recitentur: quod si mane fiat, sacrum inter preces peragatur; si pomeridianis horis, Sacramentum augustum ad adorandum proponatur, deinde qui intersunt rite lustrentur. Optamus autem, ut Sodalitates Sanctissimi Rosarii solemnem pompam, ubicumque per civiles leges id sinitur, vicatim publicae religionis causa ducant.

Ut vero christianae pietati caelestes Ecclesiae thesauri recludantur, Indulgentias singulas, quas superiore anno largiti sumus, renovamus. Omnibus videlicet qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedimus. Eis vero qui supra dicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel iustis de causis inter domesticos parietes eadem peregerint, et criminum confessione expiati sancta de altari libaverint, plenariam admissorum veniam de Ecclesiae thesauro impertimus. Plenissimam hanc admissorum veniam et poenarum remissionem his omnibus etiam largimur, qui vel ipso beatae Virginis a Rosario die festo, vel quolibet ex octo insequentibus, animi sordes eluerint et divina convivia sancte celebraverint, et pariter ad mentem Nostram in aliqua sacra aede Deo et sanctissimae eius Matri supplicaverint.

Iis denique consultum volentes qui ruri vivunt et agri cultione, praecipue octobri mense, distinentur, concedimus

ut singula, quae supra decrevimus, cum sacris etiam indulgentiis octobri mense lucrandis, ad insequentes vel novembris vel decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant.

Non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin curis hisce Nostris uberes et copiosi fructus respondeant, praesertim si quae Nos plantamus, et vestra sollicitudo rigaverit, iis Deus gratiarum suarum largitione de caelo afferat incrementum. Pro certo quidem habemus populum christianum futurum dicto audientem Apostolicae auctoritati Nostrae eo fidei et pietatis fervore, cuius praeterito anno amplissimum dedit documentum. Caelestis autem Patrona per Rosarii preces invocata adsit propitia, efficiatque, ut, sublatis opinionum dissidiis et re christiana in universis orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a Deo impetremus. — Cuius auspicem beneficii, Vobis et Clero vestro et populis vestrae curae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALOISIO ARCHIEPISCOPO FERRARIENSI.
FERRARIAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pergratum sane fuit Nobis observantissimas litteras die sacro Mariae opiferae istius Archidioecesis Patronae datas a dilectis iuvenibus istius civitatis excipere, quibus obsequium suum erga Nos et hanc Apostolicam Sedem unanimi affectu professi sunt, ac se summa cum fide et studio encyclicis Nostris litteris die 20 elapsi Aprilis datis plene adhaerere declararunt. In iis declarationibus libenter perspeximus eosdem dilectos filios pericula penitus agnoscere, quibus eorum aetas his maxime temporibus obnoxia est, societates a Nobis damnatas eos omnino aversari ac detestari, summamque vigilantiam et curam gerere non modo ut ipsi in portu religionis christianaeque disciplinae ab improborum artibus incolumes sint, sed etiam ut aliorum quoque aetatis et conditionis suae pro sua facultate

utilitati ac bono prospiciant. Dum Nos, Ven. Frater, egregiam eorumdem iuvenum voluntatem paterna caritate omnique commendatione prosequimur, cupimus ut te interprete, iidem intelligant gratissimos Nobis eorum praeclaros sensus extitisse, ac nihil Nos magis cupere quam ut ipsi ea fideliter servent in quibus tum eorum virtutis laus, tum temporalis et aeternae eorum felicitatis fructus continetur. A Patre autem misericordiarum, Deipara Virgine deprecatrice adhibita, enixe flagitamus ut eorum corda et mentes in sanctis ipsorum propositis iugiter servet confirmetque, atque ipsis eorumque familiis prospera quaeque et salutaria largiatur. Haec a divina clementia ex corde implorantes, Apostolicam Benedictionem, testem dilectionis Nostrae et auspicem omnium gratiarum, tibi, Ven. Frater, ac memoratis dilectis filiis singulis universis cunctoque clero et fidelibus quibus praesides peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 Septembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LETTERA

AL SIGNOR CARDINALE LUDOVICO IACOBINI
SEGRETARIO DI STATO.

—

Signor Cardinale

Il terribile flagello del morbo asiatico che prima apparve nella vicina nazione Francese, come già si temeva, ha colpito anche molte parti dell' Italia settentrionale e meridionale: e se quasi per tutto ha serpeggiato e serpeggia tuttora lentamente, nella popolosa città di Napoli semina stragi e rovine. — La Providenza fino a questo giorno ha ricoperto di una speciale protezione la città di Roma, campandola dal flagello. Della quale misericordia Noi coi sentimenti dell'animo profondamente riconoscente e devoto abbiamo reso e continuamente rendiamo umilissime grazie alla bontà divina: e con tutto il fervore del Nostro spirito innalziamo ogni dì al Padre delle misericordie la voce e le mani supplichevoli affinchè, per l'intercessione potente della Gran Vergine e dei gloriosi Protettori, storni dalla Nostra Roma il flagello e la salvi. — Ma pur troppo, e per le molte iniquità che muo-

vono a sdegno la divina giustizia, e per la vicinanza dei luoghi invasi dal morbo, non siamo senza timore per questa Nostra Città che Noi amiamo con affetto speciale: nè Ci è possibile rimanercene indifferenti di fronte al pericolo. Quindi Ci rivolgiamo a Lei, Signor Cardinale, con questa lettera, per comunicarle su tal proposito le Nostre intenzioni e per commettere a Lei la cura di mandarle ad effetto.

Sappiamo che con lodevole premura e con saggio accorgimento si sono già presi da chi amministra la pubblica cosa molti ed opportuni provvedimenti, affinchè l'invasione del temuto morbo, qualora avvenisse, non cogliesse la città alla sprovvista.

Ma Noi altresì desiderosi di trovarci preparati al soccorso del Nostro diletto popolo di Roma, abbiamo stabilito di aprire, allestire e mantenere a tutte Nostre spese un ampio spedale nelle vicinanze del Vaticano, dove Ci sia facile di accedere anche personalmente per visitare e confortare i malati. Questo spedale sarà aperto a vantaggio principatmente dei Rioni a Noi più vicini di Borgo e di Trastevere. — L'Amministrazione di esso vogliamo sia affidata al Nostro Maggiordomo, e la direzione ai due distintissimi periti dell'arte salutare che Ci assistono, il Prof. *Alessandro Ceccarelli* e il Dott. *Ruggero Valentini*: i quali, conformandosi alle norme già opportunamente stabilite, potranno associarsi anche altri, ove ne sia duopo, nell'assistenza dei colerosi.

A tale scopo, quantunque difficili siano le presenti

condizioni Nostre, pure fiduciosi nella divina Provvidenza e nella generosità del mondo cattolico, abbiamo già stanziato la somma *di un milione.* — Sarà sua cura, Signor Cardinale, di far sì che con la maggior possibile sollecitudine e nella più utile e soddisfacente maniera abbia effetto questa Nostra volontà, ispirataci da quella carità cristiana, che, sull'esempio del divino Maestro, giunge anche a dare la vita a vantaggio dei propri fratelli.

Che se poi, il che Dio tenga sempre lontano, il flagello anche tra noi si propagasse e si aggravasse, Ci riserviamo di disporre all'uopo anche del Nostro Pontificio Palazzo del Laterano in quella misura che sarà possibile ed opportuna.

Riceva intanto a pegno del sincerissimo affetto che abbiamo per Lei la Nostra Apostolica benedizione.

Dal Vaticano 10 Settembre 1884.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
ADELAIDI LEHON PRAESIDI SOCIETATIS VIRGINUM
A SACRO CORDE IESU.

PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTA IN CHRISTO FILIA
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Litterae observantissimae a Te die 31 elapsi Iulii datae nomine tuo et sodalium e supremo istius societatis Consilio Nos docuerunt de pia liberalitate vestra, qua fundum, qui in civitate Neo-Eboracensi ad vos pertinet, Nobis dono dare, Nostrique iuris esse voluistis. Quamquam Nos filialem animum vestrum ex pluribus argumentis probe cognitum et perspectum habeamus, tamen iucunde admodum affecti sumus hoc novo ac nobilissimo testimonio studii et dilectionis, quod a vobis accepimus. Pergratum itaque, dilecta in Christo filia, donum vestrum Nobis extitisse hisce litteris declaramus, tum quod devotam vestram erga Nos voluntatem animique magnitudinem mirifice ostendit, tum quod liberalitas vestra secun-

dam Nobis opportunitatem praebet, ut Venerabilibus Fratribus Episcopis Americanae regionis gratificari et piarum institutionum bono, reique sacrae utilitati favere possimus. Qua in re dum occasio a vobis exhibetur fidelibus, ut virtutem et meritum vestrum suscipiant, dubitandum sane non est quin Deus bonorum operum retributor, vos uberibus suae benignitatis fructibus remuneretur. Ultro igitur, dilecta in Christo filia, tibi et religiosae sodalitati tuae Nostri grati animi sensus ac paternae dilectionis studium profitemur, atque a Deo benignissimo petimus, ut te tuamque sodalitatem compotes faciat omnium caelestium munerum, quae pietas vestra et bonorum operum laus promeretur. Sit demum auspex omnium gratiarum et pignus sincerae caritatis Nostrae Apostolica Benedictio, quam tibi, tuoque Consilio cunctisque sacris virginibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Septembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM

DE PARVO TERRITORII TRACTU INTER DIOECESES CREMONENSEM ET MANTUANAM PARTIENDO.

—

Romano Pontifici obsequentes cuiusvis aetatis Episcopi, simulque Ipsius supremam dignitatem in universam Ecclesiam divinitus traditam venerantes, quaevis suarum Dioecesium gravioris momenti negotia ad Eum tamquam Antistitum Principem et Magistrum detulerunt et deferunt, id consilii sequentes quod magis Eius voluntati consentaneum reperierunt; ita ut, nihil unquam in Dioecesi iam erecta vel immutanda vel iterum circumscribenda aggressi sint, quin prius Sedis Apostolicae rogaverint sententiam, Africanorum Episcoporum obsequium secuti scribentium ad Theodorum Pontificem Maximum (Lab. Tom. VII, col. 315): « Antiquis regulis sancitum est, ut quidquam quamvis in remotis vel longinquis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum

esset nisi ad notitiam almae Sedis (hoc est Successoris Petri) fuisset deductum, ut Eius firmaretur auctoritate.»

Itaque cum in ecclesiasticis provinciis Cremonensi et Mantuana in praesentiarum certi non habeantur et definiti limites Paroeciarum, quarum alteri *Cavallara* Dioecesi Cremonensi adscriptae, alteri *Cizzolo* nomen inditum quae Mantuano paret Antistiti, sacri utriusqus Dioeceseos Pastores ad simultates arcendas controversiasque dirimendas, quae in curialibus et Episcopalibus etiam muniis peragendis non semel exortae sunt, et ad cavendum, ne in perniciem animarum novae inde exoriantur, diu multumque omnem ingenii vim intenderunt, ut utrinque ex veteri lege antiqui limites decernerentur quibus utraque contineatur.

Quamvis autem occurrentibus difficultatibus saepe omnis inquisitionis laborem frustra excidere vidissent, haud ab incepto desistendum putarunt; quoad collatis ultro citroque consiliis eo negotii perventum est, ut summa animorum concordia utrisque Paroeciis, Cavallara nimirum et Cizzolo, certi limites designarentur.

Partitionem autem, de qua inter se convenerunt, corographicis tabulis expositam Romam ad Pontificem detulerunt, orantes ut suprema qua pollet auctoritate exhibitam circumscriptionem confirmare vellet.

Haec autem nova circumscriptio seu finium limitatio hisce conceptis verbis ab Oratoribus Episcopis describitur, videlicet:

« Essa consiste, come è chiarito nell' allegato Tipo,

« in una linea divisoria parallella all' Arginello pubblico
« detto delle Ghiare da fissarsi alla distanza di metri
« settantacinque (75) dal detto Arginello, di maniera
« che la zona di terreno colle case erette ed erigende
« in essa tra l'Arginello medesimo e la nuova linea di
« confine soggiaccia incontrovertibilmente alla giurisdi-
« zione della Diocesi Mantovana e quindi alla Parroc-
« chia di Cizzolo, e del pari a detta Diocesi e Parroc-
« chia appartenga il terreno oltre l' argine maestro del
« Po fino alla riva di questo fiume risultante nella di-
« rezione di Cizzolo al di qua di detta linea di confine
« prolungabile fino al fiume anzidetto, ma scorrendo pa-
« rallella ad un' altra linea retta, che si può tracciare
« sull'ultima tratta meno irregolare di detto Arginello,
« e che il terreno situato al di là della linea medesima
« alle case erette ed erigende s' intenda di competenza
« della Diocesi di Cremona, e quindi soggetto alla giu-
« risdizione di Cavallara, riservata oltre a ciò a Caval-
« lara, e quindi alla Diocesi di Cremona, la facoltà di
« transitare in caso di bisogno attraverso la zona di ter-
« reno e lungo l'Arginello delle Ghiare in giurisdizione
« di Cizzolo Diocesi di Mantova ».

Equidem cum SSm̃us Pontifex has novae circumscriptionis causas diligenter perpenderit, simulque animadverterit, ex incertitudine limitum earumdem Paroeciarum non minus Episcopis quam populo dissentionum causam obvenisse et fortasse adhuc impendere, maxima animi sui propensione delatas Antistitum preces excipere

minime percunctatus est; quare ceteris etiam omnibus inspectis quae hac super re inspicienda erant, Sanctitas Sua certa scientia motuque veluti proprio, deque Apostolicae potestatis plenitudine singula haec quae sequuntur in decretis voluit mandari et observari.

I.

Et primum, quod ad perennem rei memoriam erit, in Tabulario huiusce Sacrae Congregationis Consistorialis custodiantur omnia et singula Documenta, quae hac super re perficienda liberum declarant consensum Antistitum tum Cremonensis cum Mantuani; item Tabulae in hanc rem corographicae Romam delatae.

II.

Aliorum autem in huiuscemodi re peragenda interesse habentium, seu habere quomodolibet praesumentium consensui, quatenus opus sit, placuit SSmo Pontifici Apostolica supplere auctoritate.

III.

Utriusque ergo Dioeceseos pars quae cum suis omnibus incolis, certis non servatis limitibus, Paroecias (Cavallara et Cizzolo) ad praesens constituit, Apostolica auctoritate a iure ordinario Antistitum tum Cremonensis cum Mantuani omnino subtrahatur atque eximatur.

IV.

Earumdem novi limites iidem erunt, qui ad faciliorem omnium captum vernacula lingua superius descripti fuerunt, et ita emendata unaquaeque proprio Antistiti regenda reddatur.

V.

Singuli autem Christifideles qui in Paroeciarum ut supra definitis limitibus domicilium habent aut habituri sunt (dummodo speciali exceptionis titulo non fruantur) Antistiti, cui ex nova circumscriptione obtigerint, suberunt.

VI.

Omnia documenta et libri et scripta quae ob non certos iam definitos limites ad alterutram forte referebantur Paroeciam, ea e Tabulario unius alteriusve Antistitis secernantur, et suae quaeque Dioecesi pro rerum opportunitate tradantur.

VII.

Hoc Consistoriale decretum, summo sic iubente Pontifice, perinde erit valiturum ac si Litterae Apostolicae sollemnes et formales in id rei expeditae fuissent.

VIII.

Harum litterarum mandata omni appellatione amota exequatur Aloisius Nazari de Calabiana Archiepiscopus Mediolanensis; quod si ipse exequi nequiverit, possit alteri committere qui dignitate polleat ecclesiastica, idque ea lege ut decretorum singulorum, quae in hanc rem ferri oportebit, authenticum exemplar ad Consilium rerum Sacri Consistorii mittatur.

IX.

Contraria quaeque nihil obstent, ac nemini liceat hoc Sacrae Congregationis Consistorialis decretum vel obreptionis vel subreptionis aliove quovis vitio notare.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Consistorialis hac die 14 Septembris 1884, Sacri Principatus anno VII.

Concordat cum originali

C. GORI *Secr.*

F. MERCURELLI Sac. Cong. Consistorialis Secret.

INSTRUCTIO

S. CONGREGATIONIS CONCILII
DE TITULIS ALIISQUE HONORIS SIGNIS
QUIBUS ECCLESIASTICI VIRI DECORARI SOLENT

—

AD OMNES CATHOLICI ORBIS EPISCOPOS.

Quamvis ecclesiasticos viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiae Praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, prae caeteris, de re christiana meruerunt: dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi conquesti sunt, ut dum sacerdotes, aetate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiae bonum contulerunt dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis adrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumeunt Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime acci-

dit, ut miseri isti in propria Dioecesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Iuris interpretes ac vindices, dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de Clero Tibi concredito aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament caelestia, et nonnisi in Cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia Clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur.

Haec dum Tibi nomine huius S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuae, cui fausta quaeque ac salutaria precor a Domino.

Amplitudinis Tuae

Romae 16 Septembris 1884

Uti Fr. Stud.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO ARCHIEPISCOPO BITURICENSI.
BITURICAS

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratissimum fuit Nobis ex tuis litteris die 4 huius mensis datis sollicitudinem zelumque perspicere, quo in pastoralis tui muneris administratione versaris, nec non cooperatorum tuorum aliorumque fidelium egregiam erga Ecclesiam voluntatem, qui sua tecum studia ad quaerendum regnum Dei et iustitiam Eius quo acerbiora sunt tempora, eo maiore animi alacritate coniungunt. Quae res uti ex aliis argumentis quae tuae litterae exhibent, tum praecipue Nobis comperta est, Venerabilis Frater, ex iis quae ad Nos retulisti de gravibus maioris Seminarii tui necessitatibus, quibus sublevandis tua consilia et curas sedulo convertendas censuisti. Magna enim cum consolatione agnovimus, necessitates illas, te operam navante, tuorum sacerdotum sollicitudinem acuisse, qui pia inter se socie-

tate coniuncti sub tua auctoritate necessariis largitionum praesidiis afflictis Seminarii rebus consulere, illustri piae liberalitatis exemplo, decreverunt. Hoc sane praeclarissimum est zeli vestri monumentum, quod dum eo valet ut sacerdotalem caritatem et Ecclesiae decus illustret, valet etiam ut amplam caelestium munerum copiam Vobis conciliet apud Eum, qui sibi ducit impensum quidquid in Ecclesiae suae solatium et utilitatem erogatur. Tibi itaque, Venerabilis Frater, tuoque Clero amplissimam in Domino commendationem tribuimus gratulantes virtuti vestrae, quae in magnis Ecclesiae laboribus non deficit, sed Deo adspirante ac iuvante, coram Ipso et hominibus singulari luce refulget. Annuentes porro postulationi tuae, Venerabilis Frater, libenter de caelestibus Ecclesiae thesauris concedimus et elargimur, ut omnes commemoratae societatis sodales in eam iam adlecti intra dies octo cum hae Nostrae litterae iis promulgatae fuerint, novi autem sodales intra hebdomadam cooptationis suae, nec non etiam ii, qui e laicis fidelibus se socios et adiutores pio operi adsciscunt, plenariam omnes indulgentiam semel spatio praedicti temporis lucrifaciendam in forma Ecclesiae consueta consequi possint ac valeant; eamque indulgentiam ut in solatium quoque animarum in purgatorio degentium cedere possit in Domino concedimus et indulgemus. Adprecantes demum bonorum operum auctorem Deum, ut qui pietatem vestram ad benemerendum de Ecclesia sua excitavit, idem bonitatis et gratiarum suarum thesauris vos affatim cumulet, Apostolicam Benedictionem, praecipuae

Nostrae dilectionis testem, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus dilectis filiis e tuo Clero, nec non universis fidelibus quibus praesides peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Septembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PAROCHIALIS ECCLESIA
LOCI CUI NOMEN « VILLAREAL » IN DIOECESI DERTHUSENSI
ARCHIPRESBYTERALI TITULO DECORATUR.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, templa Dei vetustate ac monumentorum splendore spectata, amplissimis augere titulis, libenti animo, solemus. Iamvero cum renuntiatum sit Nobis a Venerabili Fratre Francisco Episcopo Derthusensi, Parochialem Ecclesiam loci vulgo « Villareal » cui nomen factum, in dioecesi Derthusensi eadem, horum in templorum numerum iure adscribi posse, antiquis enim memoriis est atque structura praenobilis, eidemque Antistiti in votis sit, ut eamdem Ecclesiam Archipresbyterali titulo decorare, de Apostolica Nostra benignitate, velimus: Nos votis huiusmodi, quantum in Domino possumus, libenti animo obsecundantes, supradictam Ecclesiam loci « Villareal » quem appellant, in dioecesi Derthusensi, Archipresbyterali titulo, Apostolica Nostra Auctoritate, praesentium vi, perpetuum

in modum augemus decoramusque. Decernentes has praesentes Literas Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum et inane esse, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Septembris MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
CANONICIS METROPOLITANAE ECCLESIAE REMENSIS
ET RECTORI GENERALI AC RECTORIBUS DELEGATIS
FOEDERIS CATHOLICI.

REMOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratissimas habuimus litteras superiori mense a vobis datas, testes obsequii vestri erga Apostolicam Sedem et pietatis ac dilectionis qua animi vestri Nobis devinciuntur. Gratissimum pariter extitit Nobis eas deliberationes litteris vestris comprehensas conspicere, quas vos, in conventibus vestris in ista civitate habitis, documentis Nostris adhaerentes a sodalibus foederis catholici servandas nobilissimo exemplo edidistis. Eas enim, dilecti filii, dignas omnino eximia religione vestra invenimus, accommodatas et opportunas rationi temporum et zelo congruas qui decet in tanto certamine veros Ecclesiae filios ac milites Christi. Quapropter optimas voluntates vestras hisce lit-

teris summopere in Domino commendamus, ac iis studii et amoris significationibus, quibus deliberationes vestras a dilecto filio Nostro Archiepiscopo Lugdunensi et Ven. Fratre Archiepiscopo Remensi exceptas esse memoratis, ultro adiungimus gratulationis et benevolentiae Nostrae testificationem, quam vestra virtus omni iure promeretur. Rogamus autem clementissimum Deum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, ut suarum gratiarum plenitudine vos et pia opera vestra prosequatur, et iis vos muneribus augeat, quibus fideles ac strenuos Ecclesiae filios semper voluit cumulatos. In pignus demum sincerae dilectionis Nostrae et in auspicium caelestis benignitatis, Apostolicam Benedictionem vobis, dilecti filii, singulis universis, cunctisque vobiscum pia societate coniunctis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Septembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

CASPARI EPISCOPO LAUSANNENSI ET GENEVENSI.

FRIBURGUM HELVETIORUM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pergratae Nobis extiterunt litterae quas die 2 huius mensis una cum tuo clero universo ad Nos dedisti, ex quibus agnovimus, dioecesanam synodum, intervallo fere tercentorum annorum intermissam, in ista civitate, Deo favente, feliciter a vobis fuisse celebratam. Summopere gaudemus, Ven. Frater, te in magna tui cleri universi frequentia huic parti pastoralis ministerii diligenter satisfacere curasse, quam tanto studio Tridentina Synodus Episcopis omnibus commendavit. Probe enim noscimus quam salutares fructus ex hoc magni momenti opere pariuntur, huic praesertim rationi temporum opportuni, quibus maxime interest filiorum Ecclesiae animos ad bonum certamen certandum mutua inter se concordia firmiter coniungi, atque Ecclesiae ministros in sacra disciplina

religiose servanda virtutis suae lucem exhibere. Tuo itaque sacerdotali zelo, Ven. Frater, plurimum in hac re gratulamur, itemque tuo clero gratulationes Nostras expromimus, cuius egregiae declarationes litteris mandatae quas accepimus luculentum testimonium filialis obsequii, quo monitis et documentis Nostris adhaerent, ac studii quo flagrant ut doctrina et virtute instructi dignam sacerdotali ministerio operam Ecclesiae navent, Nobis praebuerunt. Dum Nos huiusmodi sensus Nobis gratissimos fuisse significamus, eosque omni commendatione prosequimur, simul a Deo clementissimo tibi, Ven. Frater, et omnibus tuis cooperatoribus poscimus, ut vos suarum gratiarum muneribus cumulet, vestras optimas voluntates laetis fructibus foecundet, ac per vos efficiat ut in ista regione in dies magis populus Ipsi serviens et merito et numero augeatur. Haec Nos a divina benignitate implorantes cupimus testem esse sincerae Nostrae dilectionis et auspicem omnium caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Ven. Frater, cunctisque dilectis filiis e tuo clero, qui tecum datas litteras subscripsere, nec non universis quibus praesides fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Octobris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONICA ERECTIONE URBANI COLLEGII
ALUMNIS FOEDERATARUM CIVITATUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS
AD SACRA INSTITUENDIS.

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ubi primum latissimae Americae Septentrionalis plagae deductis ex Europa coloniis frequentia populorum celebrari coeperunt, Romani Pontifices Praedecessores Nostri ad eam regionem oculos convertentes, in qua modo florentissima ex foederatis statibus Respublica constituta est, omnes sollicitudines et studia sua in id contulere, ut catholica fides, quaeque ex ea dimanant in civitates bona, non modo inter Christifideles manerent incorrupta, sed etiam inter gentes sive barbaras sive ex diversis orbis partibus illuc immigrantes, quamvis origine, lingua, moribus, religione dissitas, inducerentur. — Ad hos salutares fructus assequendos maxime valuerunt, tum virorum apostolicorum delectus quos undique conquisitos in eas provincias mittere nunquam destiterunt, tum sedulae assiduaeque curae

Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando, cuius consiliis et ministeriis Iidem perpetuo usi sunt, ut septentrionalis Americae spirituali utilitati consulerent. — Porro eadem Sacra Congregatio Decessoribus Nostris operam navans, inter alia sui studii argumenta erga eam regionem, hoc etiam exhibuit, ut nempe admissis in Urbanianum Collegium eius regionis alumnis, ex iis novos in dies Evangelii praecones in urbe totius christiani orbis principe, in ipsis Pontificum oculis, ad pietatem et scientiam pro Americae borealis gentibus diligenti institutione informandos opportune curaret. Illustris autem Americanae gentis electa pars tot tantisque Summorum Pontificum dilectionis testimoniis ita respondit, ut quam de se expectationem excitaverat, eidem luculenter re ipsa satisfecerit. Egregia enim semper argumenta praebuit sui studii erga catholicam religionem, ac filialis obedientiae devotaeque voluntatis erga Apostolicam Sedem, Eique firmis obsequii vinculis sese devinctam ostendit. Qua in re praecipuam commendationem sacri eius regionis Pastores sibi vindicant, quorum concordibus et assiduis laboribus brevi eo res adductae fuere, ut amplissima Episcopali Hierarchia per memoratos status constituta, religiosis Ordinibus invectis, Catholica institutione diffusa, veluti novum Ecclesiae spirituale regnum in iis regionibus effloruerit.

Haec magna cum consolatione intuentes Romani Pontifices, sui muneris paternaeque suae erga illustrem illam partem dominici gregis bevevolentiae esse duxerunt, ut maiora etiam in eius utilitatem peragenda curarent. Qua-

propter inclitus Decessor Noster fel. rec. Pius IX nihil ad religionis incrementum utilius, ad Pontificiam munificentiam opportunius existimavit quam providere, ut quemadmodum plures ex aliis exteris nationibus, sic foederati Americae Septentrionalis status suam in Urbe domum altricem haberent, in qua delecti iuvenes sacris studiis sacraque disciplina instituendi, ad exercendum deinde in patria sua uberi cum fructu sacerdotale ministerium, exciperentur. — Quod feliciter mente conceperat illustris Decessor Noster, operam etiam dedit, ut omni sublata mora ad exitum perduceretur. Itaque Eius iussu a Sacro Consilio Christiano nomini propagando coempta in urbe domus, quae Sacrarum Virginum a Visitatione Deiparae antea fuerat, Collegio alumnorum Septentrionalis Americae addicta, perpetuumque in usum attributa est; simulque anno 1858 die solemni Sanctae Dei Matris sideribus receptae ab eodem Sacro Consilio litterae datae, quibus eiusdem Collegii erectio pro foederatis Americae Septentrionalis statibus decernebatur. Collegium quidem ipsum felicibus auspiciis die 8 decembris anno insequenti dedicatum est: sed tamen usque ad hanc diem illud supererat, ut documentum Apostolicum ederetur, quo ipsum ex more institutoque huius Apostolicae Sedis canonicae suae erectionis vim et dignitatem acciperet. — Eius rei causa Venerabiles Fratres Americae Borealis Episcopi, qui superiore anno exeunte de gravibus religionis rebus acturi in hanc almam Urbem convenerunt, per Ven. Fratrem Archiepiscopum Baltimorensem Nobis fervidas preces obtulere, ut

quod nondum a Collegio regionis suae constituto peractum fuerat, auctoritate curaque Nostra, fastigium imponentes operi, perficeremus. Nos itaque haud cunctandum rati, eorumdemque Venerabilium Fratrum communibus votis obsecundare, clerumque et fideles americanae regionis novo hoc amoris testimonio prosequi cupientes, decretum a memorato Sacro Consilio editum super constitutione Collegii Clericorum pro foederatis Americae Septentrionalis statibus, cum omnibus et singulis in illo contentis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, eique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac praeterea ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque magnae Reipublicae foederatorum Americae Septentrienalis statuum, eadem auctoritate tenore praesentium idem Collegium in hac alma Urbe iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, ac nomine et titulo Pontificio decoramus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus et elargimur, ad leges quae infra sequuntur.

I. Cardinalis Sacri Consilii Christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo Patronus Collegii esto: idemque, ubi opportunum sibi visum fuerit, adiutorem sibi in eo munere gerendo deligendi et constituendi iure fruatur.

II. Administratio universa Collegii ab Archiepiscopis et Episcopis Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, vel a Praesulibus ab ipsis ad id muneris legitime deputatis, geratur.

III. Archiepiscopi et Episcopi, quibus, ut supra, Collegii administratio concredita est, iidem cum moderator alumnis Collegii regendis renunciandus fuerit, tres sacerdotes, qui ad hoc munus obeundum idonei visi fuerint Sacro Consilio Fidei propagandae, proponant, uti ex iis Summus Pontifex, audito Sacrae Congregationis consilio, eligat, quem Collegii regimini Rectoris nomine et potestate praeficiat.

IV. Rector in omnibus, quae ad Collegii regimen pertinent, Emi Patroni ac Episcoporum Collegii Administratorum auctoritati obsequatur, eisque accuratam rei familiaris rationem sexto quolibet anni mense reddat.

V. Rector idem, ut munere suo expeditius et utilius perfungi queat, tum in iis quae oeconomicam Collegii curationem, tum in iis quae alumnorum disciplinam spectant, opportunis adiutoribus utatur. — Propterea ipsius erit, Emo Patrono approbante, idoneum sacerdotem vicarium suae potestatis adsciscere, nec non curatorem rei familiaris Collegii Emo Patrono et Episcopis Administratoribus proponere, ac de ipsorum consensu constituere, qui in munere exercendo a Rectoris auctoritate nutuque pendere debebit.

VI. Rector omnibus praesit, non alumnis modo sed et singulis maioribus ac minoribus Collegii administris.

VII. Nec inter alumnos admittatur quispiam, nisi aut ratione originis aut ratione domicilii vel quasi domicilii Foederatorum Americae Statuum civis habeatur, et constitutis conditionibus satisfaciat, ac ingenii morumque laude

probatus firmam spem praebeat, sese in ecclesiasticis ministeriis esse perpetuo inserviturum.

VIII. In alumnis novis adsciscendis Collegii Rector cum Episcopis agat ad quorum Dioecesim ipsi pertinent; tum de singulis qui excipiendi erunt ad Emum Patronum referat, alumnosque item antequam Collegium ingrediantur, aut in patriam redeant, coram Emo Patrono sistat.

IX. Alumni antequam ad Sacros Ordines promoveantur, iuramentum de more emittant, ut in Collegiis Pontificiis fieri solet.

X. Collegii Urbani Fidei Propagandae scholas Americani alumni studiorum causa celebrent, ibique ad gradus Academicos assequendos doctrinae experimenta edant. — Quo vero in studiis suis proficere valeant uberius, sacerdos rerum theologicarum et philosophicarum scientia praestans apud ipsos commoretur, qui iisdem in susceptis praelectionibus explanandis et illustrandis adiumento erit.

XI. Quod autem ad spiritualem alumnorum curam attinet, Rectoris munus erit sacerdotem ad confessiones excipiendas ab Emo Urbis Vicario approbatum, in pietatis magistrum et ordinarium Confessarium, qui in Collegii aedibus degat, de Emi Patroni assensu deligere; isque ita delectus alumnorum animis ad virtutem et scientiam Sanctorum studiose ac prudenter provehendis operam navet.

XII. In alumnorum disciplina regulae seu leges Collegii Urbani Fidei Propagandae opportune temperatae, ac peculiaribus Americani Collegii rationibus accomodatae, accurate serventur.

Volumus denique ut hae Literae Nostrae firmae ratacque, uti sunt, ita in posterum permaneant; irritum autem et inane futurum decernimus si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae sub anulo Piscatoris anno millesimo octingentesimo octogesimo quarto die xxv Octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CONFIRMATUR IUDICIUM
A CARDINALI ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLANO LATUM
SUPER IDENTITATE CORPORIS S. IACOBI M. APOSTOLI
ITEMQUE SS. ATHANASII ET THEODORI DISCIPULORUM EIUS.

—

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Deus omnipotens, qui mirabilis est in Sanctis suis, providentissime voluit, ut, quum eorum animae caelo receptae gaudio perfundantur sempiterno, corpora condita terris singulari observantia colantur ab hominibus et religionis splendore honestentur. — In his vero Dei providentia et misericordia luculenter apparet, qui cum multa sinat per ea divinitus accidere, simul et utilitati consulit nostrae, et gloriae, quam sancti sui consequuntur in terris. Haec enim caelitum beatissimorum pignora, quae nobiscum manent, quoties invisimus, toties admirabilem praeclarissimarum virtutum seriem, quibus illi in mortali vitae cursu in exemplum ceteris praeluxere, memoria repetimus, et ad eas imitandas vehementer adducimur. Sunt autem, teste Ioanne Damasceno, sanctorum corpora perennes in Eccle-

sia fontes, ex quibus tamquam rivuli salutares effunduntur in populos christianos dona caelestia, beneficia, et ea omnia quibus maxime indigemus. — Quapropter non mirum est si providentis Dei consilio nonnulla sanctorum corpora, quae antea in oblivione posteritatis velut in tenebris delitescebant, his potissimum temporibus in lucem prodeant, quibus et Ecclesia maximis agitatur fluctibus, et egent christiani acriori ad virtutem incitamento. Hoc nostro vertente saeculo, cum a potestate tenebrarum teterrimum indictum fuerit bellum adversus Dominum et adversus Christum eius, auspicato quidem et divinitus inventi sunt sacri cineres sancti Francisci Assisiensis, sanctae Clarae Virginis legiferae, sanctorum Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum, Philippi et Iacobi Apostolorum. — Horum in numerum adsciscendi sunt sanctus Iacobus Maior Apostolus et discipuli eius Athanasius et Theodorus, quorum corpora nuper in templo principe civitatis Compostellanae reperta sunt.

Ex constanti et pervulgato apud omnes sermone, iam inde ab Apostolorum aetate, memoriae proditum est, publicisque Decessorum Nostrorum litteris confirmatum, sancti Iacobi corpus, postquam ille ab Rege Herode capitis damnatus martyrium fecerat, a duobus discipulis eius, Athanasio et Theodoro clam fuisse subductum. Hi cum valde metuerent reliquias sancti Apostoli nullas futuras, si Iudaei corpore potirentur, eo in navim imposito solverunt ex Iudaea, deinde sospite transmissione attigere Hispaniam, eamque circumvecti ad extremas Gallaeciae

oras appulerunt, ubi, uti pia et antiqua traditio habet, post Christi in caelum ascensum sanctus Iacobus divino consilio apostolico munere functus erat. Ibi quum Hispaniensem civitatem, quae Iria Flavia nominabatur, accessissent, in praediolo quodam manere decreverunt, mortalesque Apostoli exuvias, quas secum avexerant, in crypta saxo defossa intra loculum romano opere constructum condiderunt, parvumque super erexerunt sacellum. Sed exacto vitae cursu cum Athanasius et Theodorus naturae concessissent, christiani, qui ea loca incolebant, tum propter eximiam de duobus viris opinionem, tum ne hi a corpore quod in vita sancte asservaverant post mortem seiungerentur, ambos in eodem sepulcro composuerunt unumquemque ad Apostoli latus. — Vexatis paullo post caesisque christianis, ubicumque terrarum Romani Imperatores dominabantur, sacrum hypogeum delituit aliquandiu. Verum ubi, tranquillitate parta, apud Hispanos homines, qui praecipua sancti Iacobi religione tenebantur, de translato eius corpore fama percrebuit, ad sepulturae locum concursus fieri coepit, haud minori fortasse pietatis studio quam quo Romae et alibi sepulcra Principum Apostolorum, et Hieromartyrum coemeteria visebantur. Labentibus vero annis cum barbari primum, deinde Arabes imperio ductuque Muzae invasissent in Hispaniam, et eas praesertim regiones, quae mare adiacent crebris incursionibus divexarent, sacer sepulcri loculus, exciso et everso sacello, sub ruinarum mole in obscuritate latuit diuturna. — Non tamen vetustate oblite- rata est apud Hispanos sacri pignoris memoria. Ineunte

enim saeculo IX cum Rex Alfonsus, qui dictus est Castus, Hispaniam obtineret, et Iriae Flaviae Ecclesiae datus esset Episcopus Theodomirus, super cryptam, quae sancti Iacobi et duorum discipulorum reliquias contegebat, constans fama est veluti refixam caelo stellam splendidissimam apparuisse, quae suo fulgore indicium faceret loci, ubi sacri cineres conditi fuerant. Episcopus Theodomirus tanto felix auspicio auctori Deo supplicationes indixit, deinde submotis reiectisque veteris sacelli ruderibus, eo investigando pervenit, ubi, tamquam in cognato sepulcro, tria sanctorum corpora distinctis loculis iacebant. Tunc ut locus ille religione sanctus humanis esset praesidiis munitior, murum in circuitu eduxit, sacrumque thesaurum firmis substructionibus circumsepsit. Quae res ut ad aures Regis Alfonsi pervenerunt ad sanctum Apostoli sepulcrum venerabundus statim accessit, vetus sacellum in novam formam a solo reficiendum curavit, iussitque, fundi illius possessionem, terminis ad tria millia prolatis, in templi tuitionem perpetuo adtribui. Urbs interea cryptae propinqua, quae hactenus Iria Flavia vocabatur, ex visu elucentis stellae potioribus auspiciis Compostellae sibi nomen imposuit. — Sed ad illustrandum Apostoli sepulcrum, praeter illud caeleste signum, non pauca divinitus facta sunt, ita ut non modo ex finitimis civitatibus et oppidis, sed a longinquis etiam locis ad sacros cineres supplicatum populi venirent. Quare Rex Alfonsus III Decessoris sui exemplum imitatus exaedificationem amplioris templi aggressus est, ita tamen ut antiquus loculus inta-

ctus maneret, et illud properata molitione absolutum regio sumptu exornavit.

Exeunte saeculo X efferatae Arabum copiae, rursus in Hispaniam irruptione facta, oppida complura diripuerunt, ac magna civium edita strage, omnia ferro et incendiis vastarunt. Nefandissimus Emirus Almansor, quem sepulcri sancti Iacobi cultus non latuerat, ad direptionem et eversionem animum iam intenderat; quod si perficere potuisset, maximum Hispanorum praesidium, et in quo erat eorum spes omnis, sese expugnaturum arbitrabatur. Quapropter iis, quos praedonibus suis praefecerat, imperat Compostellam recta proficiscantur, urbem adoriantur, templum et sacra omnia dedant igni delenda. At Deus exortum iam et dilapsum incendium ad presbyterii limen restinxit, et Almansorem eiusque copias foedis torminibus percussit, quibus divexati Compostella discesserunt, et fere omnes cum Almansore subita morte perierunt. — Extabant adhuc sparsi circa hypogeum cineres hostilis ferocitatis reliquiae, divini praesidii documentum. Quibus e malis ubi se emersit Hispania, Compostellae Episcopus Didacus Pelaez, in ipsis ruderibus veteris templi ampliorem aedem ab inchoato excitavit, quae, a posteriori Episcopo Didaco Gelmirez splendidiore cultu et maiestate aucta, Basilicae nomine et iure donata est. Huius Episcopi praecipua cura fuit sacras reliquias sibi traditas recognoscere, et educto in sublime pariete, loculum inaccessum reddere. Quae inter agenda ex sacris ossibus particulam quamdam dissociare non dubitavit, eamque sancto

Attoni Pistoriensi Episcopo adiectis litteris dono misit. Partem hanc ex hodierna peritorum inspectione compertum est demptam fuisse ex capite: ea enim est, quae apophisis mastoidea vocatur, sanguine adhuc respersa, utpote quae gladii ictu, quum caput cervicibus abscinderetur, percussa est. Hae reliquiae prodigiorum fama et avita civium religione sanctae singulari pietatis studio coluntur adhuc ab Ecclesia Pistoriensi. — Interea Hispaniensis Sanctuarii fama longe lateque pervulgata, innumerabiles peregrinorum cohortes ex universis fere terrarum partibus illuc confluebant, et adeo crevit frequentia, ut ingentibus peregrinantium catervis ad sancta Palestinae loca et ad limina Apostolorum Petri et Pauli, merito compararentur. Ac proinde Romani Pontifices Decessores Nostri dispensationem voti de peragenda Compostellana peregrinatione suscepti Apostolicae Sedi reservarunt.

Saeculo XVI nondum exacto, cohorta est foeda et atrox tempestas, qua per Hispaniam fere totam saeviente, sacrum Apostoli sepulcrum in periculo fuit non tam communi, quam proprio. Indicto enim bello Hispanos inter et Britannos, hi, qui a catholica fide ad haeresim desciverant, praedari et diruere catholicorum templa, et sacra omnia violare et delere sibi constituerant. Quapropter in Gallaecia, regione mari citima, exposito exercitu, sacras aedes everterunt, caelitum beatorum imagines, reliquias et quae omnia sanctiora habentur, haeretico furore combusserunt, deinde ad perniciosam, ut aiebant, superstitio-

nem extinguendam, Compostellam versus castra moverunt. — Praeerat id temporis Compostellanae Ecclesiae piissimus Archiepiscopus Ioannes a sancto Clemente, qui collatis cum Canonicis consiliis de sacris Sanctorum reliquiis tuto in loco recondendis, hanc praecipuam de sancti Iacobi exuviis curam sibi suscepit. Sed cum iam hostes instarent, tumultuario opere ab eo clanculum tria corpora condita sunt: cavit tamen ut novus loculus ex veteris illius, romano more constructi, ruderibus constitueretur, ut aliquod superesset posteris eorum identitatis testimonium. Postquam recessum ab armis et belli pericula propulsata sunt, cives Compostellani, et peregrini qui ea loca frequentes adiverant pro certo habebant, sacros cineres eodem esse adhuc in loco ubi primitus composita requieverant. Posteri autem in ea opinione fuerunt qua maiores, ita tamen ut temporibus nostris censerent christifideles in abside sancti sacelli maioris eadem sacra pignora servari, quapropter illuc ad adorandum propius accederent, et Basilicae Clerus quotidianae supplicationi ibi cum antiphonae cantu finem poneret.

Cum vero Venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Paya y Rico hodiernus Archiepiscopus Compostellanus aliquot abhinc annis restituendae Basilicae operam aggressus esset, consilium cepit, quod iamdiu agitabat animo, investigandi locum ubi sancti Iacobi et discipulorum eius Athanasii et Theodori reliquiae sitae essent. Quare ad opus tanti momenti viros peritissimos delegit in ecclesiastica dignitate constitutos, qui ope-

rarios dirigerent. Sed praeter opinionem omnium res ceciderunt. Explorato enim toto hypogeo et latebris quotquot extant adhuc circum altare maximum nihil repertum est. Demum quo maior cleri et populi ad orandum ferebatur devotio, in centro scilicet absidis post altare maius, et ante aliud altare interius effossum est pavimentum, et cum opus ad duo cubita processisset, occurrit operariis arca, cuius in operculo crux insculpta videbatur. Arca erat lapidibus et lateribus confecta ex antiquiori crypta ac sepulcro excerptis. Remoto coram testibus operculo, ossa reperta sunt ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. De iis omnibus Venerabilis Frater Cardinalis Archiepiscopus Compostellanus, secundum sacri Concilii Tridentini sanctiones, auditis doctorum piorumque virorum consiliis, et lectissimorum peritorum sententiis, processuales condidit tabulas, inquisitumque est, constaret ne in repertis reliquiis de identitate corporum sancti Iacobi Maioris Apostoli et duorum discipulorum eius Athanasii et Theodori? Haec omnia ad ecclesiasticae disciplinae praecepta perpendens, adhibitoque intelligenti iudicio, annuit et approbavit. Deinde idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Compostellanus acta omnia et sententiam suam ad Nos misit, petiitque supplex, ut sententia eadem supremo Nostrae Apostolicae auctoritatis iudicio confirmaretur.

Nos admotas Nobis preces benigne excipientes, cum probe noverimus venerabile sancti Iacobi Maioris sepulcrum inter celeberrima sanctuaria iure posse censeri, quae

in toto orbe terrarum a christianis coluntur, sacrisque celebrantur peregrinationibus ad suscepta vota persolvenda: idemque a Decessoribus Nostris Paschali II, Callisto II, Eugenio III, Anastasio IV et Alexandro III, datis constitutionibus, fuisse privilegiis et honoribus ornatum et auctum, voluimus ut ad tantum negotium ea conferretur diligentia, quam semper Apostolica Sedes adhibere consuevit. Quamobrem ex Sacro Consilio sacris tuendis Ritibus praeposito, aliquot S. R. E. Cardinales destinavimus, nimirum Dominicum Bartolini Praefectum, Raphaelem Monaco Lavalletta, Miecislaum Ledochowski, Aloisium Serafini, Lucidum Mariam Parocchi, Angelum Bianchi et Thomam Zigliara; nec non eiusdem S. Congregationis praesules officiales dilectos Filios Magistros Vincentium Nussi Protonotarium Apostolicum, Laurentium Salvati ab actis, Augustinum Caprara Quaesitorem de honoribus caelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore; quibus idem negotium examinandum commisimus. Conventu habito ad Vaticanas Nostras Aedes die xx Maii vertentis anni, omnibus ad trutinam severa disquisitione vocatis, responsum datum est « *dilata, et ad mentem.* » Mens vero fuit ut nonnullae animadversiones gravioris momenti accuratius diiudicarentur. — Quae res ut expedite ad exitum perveniret, iussimus dilectum Filium Magistrum Augustinum Caprara Sanctae Fidei Promotorem Compostellam proficisci, ut ibi singula quaeque inspiceret, inquireret, referret. Ille testibus, quos prius per iusiurandum adegerat, auditis; compositis nonnullis contradictionibus, quae in eorum

relatione subesse videbantur; examinatis archeologiae, historiae et anathomiae peritis Matriti et Compostellae, qui de re sententiam ferrent; inspectis vetustioris loculi ruderibus et cum his, quibus arca reliquias continens constituitur, comparatis, nec non inspecto loco sub abside ubi hae inventae sunt; demum quum rursus percontatus esset peritos physicos de singulis sacrorum ossium partibus, Romam reversus accurata relatione demandato sibi munere perfunctus est. — Quare iisdem collectis comitiis ad Vaticanum die xix Iulii huius anni, dubitationum discussa caligine et veritatis lumine clarius exorto, propositum est dubium: « An sententia lata a Cardinali Archiepiscopo « Compostellano de identitate reliquiarum, quae in centro « absidis sacelli maximi Metropolitanae eiusdem Basilicae « repertae sunt et sancto Iacobo Maiori Apostolo, eius« que discipulis Athanasio et Theodoro tribuuntur, sit « confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur? » Ac dilecti Filii Nostri Cardinales itemque Praesules Officiales considerantes omnia, quae proposita erant, ita vera et probata esse, ut refellere nequis posset, ideoque cognitionem rei certam adesse, quae secundum sacros canones et Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum Constitutiones in hisce negotiis desideranda est, ita rescripsere: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam* ».

Quae cum Nobis a dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, eiusdem sacrorum Rituum Congregationis Praefecto relata fuissent, non mediocri Nos laetitia

affecti sumus, et toto ex animo Deo Optimo Maximo gratias egimus, cui placitum est ut Ecclesia sua, in tanta praesertim temporum iniquitate, novo hoc thesauro ditesceret. Propterea supra dictam peculiaris sacrorum Rituum Congregationis sententiam libenter in omnibus ratam habuimus et confirmavimus. Insuper mandavimus ut die xxv Iulii sancto Iacobo Apostolo sacra Nostrum confirmationis decretum in Ecclesia Nationis Hispanicae sanctae Mariae de Monte Serrato in Urbe dicata, post Evangelii lectionem ex ambone publicaretur, praesentibus dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et dilectis Filiis Magistris Laurentio Salvati ab actis, Augustino Caprara Quaesitore de honoribus caelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore et Ioanne Ponzi pro tabulario.

Nunc vero ea, quae per supradictum decretum constituta sunt solemniore Apostolicae auctoritatis documento, novoque Nostrae confirmationis actu communire volentes, Decessorum Nostrorum vestigia persecuti, nempe Benedicti XIII, Pii VII et Pii IX, qui de identitate corporum sanctorum Augustini Pontificis Doctoris, Francisci Assisiensis, Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum iudicium tulerunt; Nos quoque, quibuscumque dubitationibus et controversiis diremptis, Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Archiepiscopi Compostellani sententiam de identitate sacrorum corporum Beati Iacobi Maioris Apostoli, et sanctorum discipulorum eius Athanasii et Theodori, ex certa scientia, atque etiam motu proprio,

Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus et in perpetuum firmam et validam fore decernimus. Praeterea volumus et iubemus, ne cui fas sit sacras Reliquias, quae iam in veteri conditorio repositae sunt et sigillo super obsignatae, vel earum particulas dissociare, demere vel asportare sub poena excommunicationis latae sententiae, cuius absolutionem Nobis et Nostris Successoribus omnino reservamus.

Quamobrem committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Ecclesiarum Praelatis praesentes litteras in sua unumquemque provincia, dioecesi et civitate solemniter publicare, ea meliori ratione, quam expedire censuerint; ut auspicatissimus huiusmodi eventus ubique innotescat, atque aucto pietatis studio illum christiani omnes celebrent, sacrasque peregrinationes ad sacrosanctum illud sepulcrum, quemadmodum maiores nostri facere consueverunt, suscipiant. — Et quo efficacius pro Ecclesia Sancta Dei et pro universa christiana republica sancti Iacobi Apostoli et eius discipulorum patrocinium impetrare valeamus, omnibus et singulis christianis utriusque sexus, qui vere poenitentes die per locorum Ordinarios seligenda confessi, et sacro Christi corpore refecti in templis ubilibet sancti Iacobi Apostoli Deo dicatis, et iis deficientibus in quolibet templo ab Ordinariis designando, pro instantibus gravissimis Ecclesiae necessitatibus eiusque exaltatione, pro haeresum improbarumque sectarum extirpatione, sancti Iacobi suppetiis

imploratis, pias apud Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam ac remissionem, quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possit, benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

Et quoniam nobilissima Hispanica Natio mirifica sancti Iacobi ope fidem catholicam integram inviolatamque servavit, ut Deus misericors ei gratiam impertire velit, propter quam, in tanta errorum colluvione, Patrono suo apud Deum medio et sequestro, ad sanctitatem religionis avitae et ad pietatis studium firmet animum, amplissimum privilegium ab Alexandro III Decessore Nostro ei concessum, lucrandi scilicet plenarium Iubilaeum eo anno quo festum sancti Iacobi XXV Iulii incidat in Dominicam diem, etiam pro venturo anno concedimus cum ea ipsa die sancto Iacobo sacra festa solemnia inventionis et elevationis corporis eius agenda erunt, ea servata methodo, et cum iisdem facultatibus in Constitutione ipsius Summi Pontificis data die XXV Iulii an. MCLXXIX contentis.

Has quoque litteras et quaecumque in eis contenta nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et in perpetuum validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu tamen ali-

cuius publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo quarto, Kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI Pro-Datarius — F. CARD. CHISIUS

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

ALLOCUTIO

HABITA DIE X NOVEMBRIS AN. MDCCCLXXXIV
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

—

VENERABILES FRATRES

Quam aspera in Ecclesiam saevire procella pergat, quam crebrae sint ob hanc caussam quamque graves Nobis praesertim, qui ad gubernacula sedemus, sollicitudines animi subeundae, nemini fortasse melius est quam Vobis cognitum, qui in administranda christiana republica consilium Nobis operamque praestare pro dignitate vestra soliti, saepe in mediis rerum difficultatibus Nobiscum una versamini. Postea vero quam, datis in id Litteris Encyclicis, consilia et artes societatum clandestinarum libere aperuimus, quod omnino a Nobis et officii Nostri et salutis publicae ratio postulabat, inveterata inimicorum odia gravius etiam videntur exarsisse, ut metuendum sit ne magis laboriosa certamina dies afferat. — Verumtamen quoscumque demum casus inimica vis invexerit, securi suscipiemus: in tutela enim patrocinioque Dei omnipotentis conquiescimus, cuius est beneficio datum tributumque Ecclesiae suae, ut, eo auspice et adiutore, in omne

tempus victrix, in ipsis dimicationibus crescendi caussas inveniat. Quod quidem si superiorum saeculorum, quotquot ab Ecclesia condita fluxerunt, non esset memoria testatum, satis ea confirmarent quae nos ipsi hoc tempore perspicimus. Ecce hoc ipso teterrimo bello, quod adversus catholicum nomen diu deflagravit, nihil sibi metuens Ecclesia defungitur: atque in eo maxime triumphat, quod in tam pervagata opinionum morumque corruptela, quando summum bonum, quae est fides christiana, circumfusis undique insidiis in periculo vertitur, non rara occurrunt experrectae virtutis documenta, concordiaeque, caritatis, fortitudinis exempla passim in populo christiano renovantur. — Eodemque tempore novas easque peramplas regiones Evangelio christiano videmus Dei munere reclusas. Viget catholicum nomen in America: foederatarum civitatum Episcopi hoc ipso mense concilium acturi sunt, deque ecclesiastica disciplina rite ordinanda communi iudicio deliberaturi. Viget idem ac propagatur apud Australianos, apud Indos, variisque Orientis partibus, ita ut christianorum multitudo quotidianis propemodum aucta incrementis alios atque alios vicario munere apostolico rectores persaepe requirat.

De Africa vero, quamvis magnam adhuc partem christianae sapientiae expers cultu inhumano silvescat, illud tamen Nos iucunde afficit beneque in posterum sperare iubet, quod instituta christiana satis iam coluntur in septentrionali, quae mari alluitur, ora. — Qua in re non exigua sunt merita unius viri ex amplissimo Collegio vestro,

qui communi Africanae gentis saluti quam maxime intentus, instantia et laboribus assecutus est, ut brevi annorum cursu multa praeclare facta concluderet. Itaque de istius regionis bono valde solliciti sumus; et dum de provehendis per Africanas plagas commerciis civilique cultu his ipsis diebus in Europa consulitur, Nos quidem auspicatiore ad salutem consilio Evangelii lumen per ea loca propagare tuerique conamur. — Atque in primis cogitationes Nostras ad se hoc tempore convertit illa non tam urbs, fere enim nulla est, sed memoria urbis opulentae olim atque imperiosae. Carthaginem intelligimus: quam si memori admiratione suspiciunt posteri, quod multis rebus pace belloque floruerit totius Africae princeps et romanae aemula magnitudinis, multo magis suspiciant ob christianas laudes oportet. Ipsa quippe, nota omnibus et vulgata commemoramus, religionem christianam sibi ab urbe Roma allatam maturrime complexa est, tamque studiose retinuit, ut sanctissimorum virorum proventu martyrumque fortissimorum numero cum paucis civitatibus comparanda sit. Carthaginiensibus Episcopis iam inde ab ultima antiquitate haec dignitas obtigit, ut primatiali potestate Africae universae praeessent. Quod si postea, semel atque iterum vastantibus Africam barbaris, omnia cum religiosa tum civilia decora uno interitu occiderunt, ipsa civitate principe funditus deleta, permansit tamen veterum gloria meritorum, maximeque laus Sedis Archiepiscopalis, quam magnus Cyprianus sapientia et virtute sua non paucos annos nobilitatam martyrio demum consecravit. — Nos igitur harum rerum cogitatione ad-

ducti paternaque benevolentia christianos ex Africana gente complexi, cum magnopere velimus administrationem rei sacrae apud eos firmius stabiliri, maturum esse censuimus, ut throni Archiepiscopalis honor, auctoritate Nostra, Carthagini restitueretur: quapropter hac de re Litterarum Apostolicarum exempla vobis singulis, Venerabiles Fratres, propediem reddi iussimus.

Minime dubitamus, quin pro summo vestro in Ecclesiam studio magnopere iucunda Vobis accidat ista pervetustae Sedis Archiepiscopalis velut ad vitam revocatio: eodemque tempore non minus gratum acceptumque Vobis fore confidimus, quod amplissimum Collegium vestrum supplere viris decrevimus bene de Ecclesia meritis, quos doctrina, virtus, rerum usus, munera gesta valde commendant. Ii autem sunt

Carolus Laurenzi Episcopus Tit. Amatensis, S. R. et U. Inquisitionis Assessor, quem S. R. E. Cardinalem Ordinis Presbyterorum in Consistorio Secreto die 13 Decembris 1880 creavimus, hodieque publicamus:

Michaelangelus Celesia, Archiepiscopus Panormitanus ex Ordine S. Benedicti:

Antonius Monescillo y Viso, Archiepiscopus Valentinus :

Gulielmus Massaia, Archiepiscopus Tit. Stauropolitanus, ex Ordine Minorum Capulatorum:

Caelestinus Ganglbauer, Archiepiscopus Viennensis ex Ordine S. Benedicti:

ZEPHYRINUS GONZALEZ Y DIAZ, Archiepiscopus Hispalensis ex Ordine Praedicatorum:

CARMEN MEROSI GORI, S. Congregationis Consistorialis et S. Collegii Secretarius:

IGNATIUS MASOTTI, S. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretarius:

ISIDORUS VERGA, S. Congregationis Concilii Secretarius.

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

MICHAELANGELUM CELESIA
ANTONIUM MONESCILLO Y VISO
GULIELMUM MASSAIA
CAELESTINUM GANGLBAUER
ZEPHYRINUM GONZALEZ Y DIAZ

et Diaconos Cardinales

CARMINEM MEROSI GORI
IGNATIUM MASOTTI
ISIDORUM VERGA

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SEDE ARCHIEPISCOPALI CARTHAGINIENSI RESTITUENDA.

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Materna Ecclesiae caritas, quamquam est in omne hominum genus aequabiliter diffusa et de gentibus singulis mirabiliter sollicita, solet tamen praecipuo quodam misericordiae sensu ad illas respicere, quas ab Evangelii complexu aut vis aut error abstraxerit. Nihil enim tam grave est, quam renascente superstitionis caligine obcaecari eos, quibus praeclarissimo Dei munere et dono lumen aliquando veritatis affulserat: nihilque tam miserum, quam semel in salutem vindicatos, in interitum relabi. — Atqui arcano Dei consilio istius modi calamitas sicut alias terras non paucas, ita Africam Romanam perculit, cum sapientiam christianam mature Afris cognitam et receptam maximarum tempestatum fluctus violenter ex-

tinxerint. In quo praeter modum luctuosa fortuna Carthaginis: hanc quippe christianis non minus quam bellicis civilibusque praestantem laudibus calamitosae vicissitudines suis ipsam ruinis oppressam funditus deleverunt. Harum cogitatio rerum facit ut Nos, officii Nostri apostolici memores, ad maritimas Africae oras, quae prope sunt in conspectu positae, non sine paterna pietate hoc tempore intueamur. Quoniamque videmus catholicum nomen satis iam in illo tractu reviviscere, volumus ut bona illa seges, quae uberes pollicetur fructus, cultura et curatione Nostra altiores quotidie radices agat, beneque Deo adiuvante adolescat. Quamobrem cum ad rei sacrae stabilitatem atque ordinem omnino plurimum referat, singulis christianorum societatibus suos sibique proprios praeesse Episcopos, arbitrati sumus, spectato Ecclesiae Africanae statu, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem restitui, sublata administratione Apostolica, oportere.

Qua in re libet quidem aliquid cogitatione repetere de pristino eius Ecclesiae splendore, atque a praeteritarum rerum memoria auspicium capere futurarum. Sane Ecclesiam Africanam e Romana prognatam esse constat, cum ab ultima antiquitate traditum sit, si minus beatum Petrum, certe proximos eius successores Evangelium Afris attulisse. Apud quos christianum nomen apparet celeriter adultum: altero enim nondum exacto saeculo, descriptis finibus impositisque rite Episcopis, plurimae per Africam Ecclesiae constitutae sunt. Easque disciplina floruisse vel ex eo coniici licet, quod ante exitum saeculi secundi Ec-

clesia catholica Pontificem ex Africa accepit, scilicet sanctum Victorem, qui, christiana republica naviter gesta, decennio post martyr occubuit. — Brevi autem intervallo non mediocris extitit copia sapientium hominum atque magnorum : Cyprianum intelligimus, Tertullianum, Aurelium, Evodium, Possidium, et qui non Africam modo sed universam christianam rempublicam unus maxime illustravit, Augustinum.

Ab ipsis vero Ecclesiae Africanae primordiis praestitisse Carthaginem nemo dubitat. Huius enim civitatis Episcopis ius est mature quaesitum ut ceteros potestate anteirent, ipsaque Carthaginiensis Ecclesia, ut est apud Augustinum [1], caput Africae appellaretur. Revera tanta erat Carthaginiensium Pontificum per Africam auctoritas, ut de caussis Ecclesiarum cognoscere consueverint: item responsa Episcopis dare, legatos ad Principem mittere, concilia omnium provinciarum indicere. Qua de re perhonorificum et gravissimum est sancti Leonis IX decessoris Nostri testimonium, qui de iure Archiepiscopatus Carthaginiensis sententiam rogatus, ad Thomam Episcopum sic rescripsit: *Sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus et totius Africae maximus metropolitanus est Carthaginiensis Episcopus : nec pro aliquo episcopo in tota Africa perdere potest privilegium semel susceptum a sancta romana et apostolica Sede, sed obtinebit illud usque in finem saeculi et donec invocabitur in ea nomen Domini*

[1] Epist. xxxxiii, num. 17.

Nostri Iesu Christi, sive deserta iaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex concilio b. martyris Cypriani: hoc ex synodis Aurelii: hoc ex omnibus Africanis conciliis; hoc, quod maius est, ex venerabilium Praedecessorum Nostrorum romanorum Praesulum decretis aperte monstratur.

Verum non dignitate solum, sed etiam christianarum virtutum ac nominatim fortitudinis exemplis visa est Carthago antecellere. Etenim, si urbs Roma excipiatur, vix alia reperietur civitas quae tot martyres ac tam praeclaros Ecclesiae caeloque genuerit. Praedicatione et cultu serae posteritatis florent prae ceteris Perpetua et Felicitas, par feminarum nobilissimum, quarum tanto mirabilior victoria, quanto diutius cum quaesitissimis cruciatibus infirmitas sexus dimicavit. Nec minus inclyta magni Cypriani palma. Nam sanctitate et rebus gestis Carthaginem, stilo et litteris christianum nomen cum multos annos nobilitasset, ad extremum in media Ecclesia sua, spectantibus iis quos ipse ad martyrium instituerat, praeclarissima confessione defunctus vitam cum sanguine pro Christo libens profudit.

Atque illud quoque memoriam Carthaginiensis Ecclesiae non parum commendat. Africanos episcopos ad eam vocatu Archiepiscopi convenire solitos, de communibus religionis negotiis una deliberaturos. Ac plura quidem diversis temporibus condidere sapienter decreta, ex quibus non pauca supersunt, et quorum vel ad comprimendas haereses, vel ad morum disciplinam in Clero populoque

sancte retinendam, plurimum valuit auctoritas. Fama memor celebrat in primis Concilium Carthaginiense tertium ab Aurelio episcopo viro fortissimo habitum, quo sanctitatis ingeniique sui lumen Augustinus attulit. — Huiusmodi vero tam salutares fructus, Episcopis Carthaginiensibus nitendo laborando perceptos, coniunctioni potissimum cum hac Apostolica Sede acceptos referri oportet. Cum enim esse intelligerent divino iure constitutum ut Ecclesia Romana cunctarum Ecclesiarum princeps sit et magistra, et tamquam ex radice ad ramos, sic ex ea ad Ecclesias singulas omne principium vitae et viriditatis manare, nihil antiquius habere consueverunt, quam ut permanerent cum successoribus beati Petri perpetuo atque intimo nexu devincti. Quod quidem varia litterarum monumenta, acta Conciliorum, legationes de gravioribus negotiis ad Pontificem romanum non raro missae, nominatimque Optati et Cypriani epistolae gravi auctoritatis pondere testantur. Atque illud est memoratu dignum, quod eiusmodi in Apostolicam Sedem obsequium non diuturnitate temporis est, neque formidolosis illis rerum conversionibus debilitatum. Ex quo geminum Africa beneficium tulit, alterum ut in maximis suis calamitatibus perfugium quoddam et solatium in Apostolica Sede semper invenerit: alterum, ut romanorum Pontificum magisterio praesidioque freta perniciosissimas haereses partim repulerit, partim extinxerit.

Sed spatium temporis haud valde longinquum gloriose emensa, consenescere Ecclesia Africana coepit et ad oc-

casum deflectere, ita tamen ut multo fuisset victura diutius, nisi vitam illata vis peremisset. Non enim senio ipsa suo confecta interiit, sed barbarorum armis oppressa succubuit. Revera exploratum est quantum Afris malorum attulerint Vandali: quorum effrenati exercitus ubicumque vestigium posuissent, ad direptiones urbium caedemque civium Arianae venena pestis adiungebantur: ac tantus erat ubique terror, ut catholici *nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus* [1]. Saeculo autem septimo Saraceni, hostes christiani nominis, cum easdem provincias, more procellae, inundavissent, acerbissimae servitutis iugo indigenis imposito, Carthaginem ipsam tot iam fessam aerumnis, igne ferroque exciderunt, planeque perniciem et vastitatem Ecclesiae intulerunt. Quibus temporibus, saeviente passim adversus fidem catholicam furore hostium, rursus martyrum seges, et magnus Confessorum numerus, et fortium Episcoporum et sacerdotum egregii manipuli extitere, ut prorsus sicut cum laude Africana Ecclesia adoleverat, ita cum dignitate occubuisse videatur. — Tantis autem in tenebris, quae consecutae sunt, Carthaginienses Episcopi duo apparent, vix plus quam nomine cogniti: Thomas, de quo supra est facta mentio, et Cyriacus. Nam qui saeculo decimo quinto posteaque occurrunt, plerique omnes ornamentarii fuerunt.

Quinto a Saracenorum dominatione saeculo, cum ger-

[1] Victor Vitensis, *Pers. Vand.* lib. I, c. 7.

manae Ecclesiae vix pauca ac prope evanescentia vestigia in Africa superessent, inventus est in Italia, qui salutem Africani generis ingenti animo complexus, de religione catholica illic restituenda cogitaret. Is fuit, quod nemo ignorat, Franciscus Assisiensis: qui Tunetum, ad oppidum Proconsularis Africae princeps Carthaginique proximum, Aegidium et Electum alumnos suos submisit, iussitque in iis hominibus ad instituta catholica revocandis, quantum possent, elaborare. Anceps et salebrosum inceptum, si quod aliud: in quo multum uterque desudavit caritate et fortitudine summa: alter vero sanctissimi propositi laudem nobili martyrio cumulavit. — Mox Gregorius IX decessor Noster alios ex illo ipso instituto viros eodem in culturam animorum legavit: illorum tamen laboribus barbarica vexatione interceptis, necessario factum est, ut terra Africa apostolicos viros ad saeculum usque decimum septimum nullos habuerit. Tunc demum, auctoritate sacri Consilii christiano nomini propagando, Praefectura apostolica instituta est, quae Algeriensem, Tripolitanam ac Tunetanam provincias una complecteretur: eamque sodales Franciscales Capulati gerere iussi. — Deinde Praefectum Apostolicum seorsim creari placuit, cuius potestati quidquid est agri Tunetani subesset: iidemque religiosi sodales ad id munus electi. Qui laboriosum opus, animose susceptum, animo aeque excelso expleverunt, ut omnino dederint, quid caritas possit, passim documenta maxima. Nam in tam agresti Saracenorum immanitate incredibiles molestias pertulerunt: plurimique numerantur, qui caeli incle-

mentia absumpti, qui ferro barbarorum sublati, qui vigiliis perpetuisque fracti laboribus martyrii honores delibarint. Sed eorum constantia religionis incremento mire profuit: nec exiguae illae utilitates putandae, quas recentiore memoria Afris pepererunt, nimirum paroeciae aliquot conditae, scholae in eruditionem puerorum apertae, et quaedam in solatium calamitosorum pie instituta.

Ineunte hoc saeculo, cum militares Gallorum copiae in Africam adnavigassent, inque maritimis oris victrices consedissent, constituta ibidem provincia est, cuius imperium apud eos esse coepit. Haud multo serius, dato Algeriensibus Episcopo, amplissimae illae regiones, quae a Saracenis diuturno dominatu tenebantur, veteris dignitatis aliquid recepisse visae sunt. — Deinde Dioecesibus Constantinae et Orani institutis, pluribus locis, in quibus olim Ecclesia sospes et florens insederat, sanctissimi ritus catholici longo intervallo sunt restituti. Ipsa Tunetana regio, cum christianorum crevisset numerus, mutata in Vicariatum apostolicum Praefectura, Episcopum a Romana Sede accepit. Atque ex eo tempore provisa sunt multa ad christianam morum disciplinam salubria: amplificatae paroeciae: auctae scholae: sodalitates pietatis caussa plures coalitae.

Haec satis prospera initia spem plurimis fecerant fore ut, deductis coloniis in eum tractum in quo sita Carthago fuit, revocari aliquando ab interitu posset Africanarum princeps urbium, et secundum instituta maiorum novum a Pontifice Romano Episcopum accipere. Cui quidem spei

partim respondisse exitum laetamur: cetera responsurum, Deo adiutore, non diffidimus. Nam Vicariatus Tunetani administrationem adeptus Archiepiscopus Algeriensis S. R. E. Cardinalis Carolus Martialis Lavigerie, ad propagationem fidei stabilemque rei sacrae constitutionem vir sapiens atque impiger animum appulit. Multas res perfecit utiliter spatio perbrevi: nec pauca suscepit ad excitandam e cineribus suis Carthaginem opportuna. Et sane in regione *Mègara* proxime a situ, quem Cyprianus cruore suo dedicavit, nec longe admodum a loco sepulturae eius, in ipsis ruinis Carthaginiensibus aedes episcopales cum aedicula extruxit: ibique accolae et finitimi, praesertim egentes et calamitosi, miseriarum solatium quotidie reperiunt. Presbyteros in ipsa domo episcopali, itemque Tuneti, aliisque Vicariatus frequentioribus locis ad officia sacerdotalis muneris obeunda constituit: quibus ipsis officiis sodales Franciscales Capulati dare operam strenue perseverant. In regione, quae *Byrsa* audit, Seminarium Carthaginiense condidit: cuius alumni in novae Dioecesis spem succrescentes ad theologiam, ad philosophiam, ad humaniores litteras idoneorum doctorum curis magisterioque erudiuntur. Ad Paroecias pristinas novas adiunxit non paucas: unamque ex iis in sacello constituit, quod a sancto Ludovico nuncupatur, eo ipso in loco unde rex pientissimus ab hac brevitate vitae ad sempiterna in caelis bona evocabatur. Praeterea hospitalem domum senectute et egestate coniuncto incommodo laborantibus; valetudinarium aegrae plebi curandae: aedificia

adolescentibus utriusque sexus educandis aperuit. Quibus illecti commodis et beneficiis satis multi iam incolere ea loca coeperunt in spem auspiciumque revicturae civitatis. Denique perfecit, ut ad tuitionem Archiepiscopi rerumque coeptarum absolutionem necessarii sumptus perpetuo suppeterent.

Igitur cum haec, quae commemorata sunt, diligenti consideratione momentoque singula suo ponderaverimus, perrogata etiam sententia sacri Consilii christiano nomini propagando; quod universae christianae reipublicae faustum sit, maximeque Afrorum saluti ac dignitati bene vertat, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem harum litterarum auctoritate restituimus. Proptereaque eos fines agri Tunetani, in quibus olim Carthago erat, quique hoc tempore quinque pagos complectuntur, nempe *La Marsa, Sidi Bou Saïd, Douar es Chott, La Malga, Sidi Daoue* cum suis templis, oratoriis, piis etiam institutis, cumque universis utriusque sexus catholicis incolis, exire de potestate Vicarii Apostolici Tunetani, et Archiepiscopo Carthaginiensi in posterum subesse et parere iubemus.

E templis, quae sunt intra fines civitatis, Metropolitanum esto, quod is, qui haec decreta Nostra perfecturus est, maluerit, titulo tamen non mutato.

Archiepiscopus Carthaginiensis Vicarium sibi generalem unum pluresve, si res postulaverit, adsciscat: insuper consiliarios adiutoresque ad expedienda Archidioeceseos negotia ex ordine Cleri legat. — Idem controversias de matrimoniis, caussasque ceteras, de quibus Archiepiscopum

cognoscere ius est, cognoscat et dirimat. Cetera omnia, quae ad pastoralis officii munus pertinent, libere gerat. — Synodos Dioecesanas constituta lege temporibus habendas curet. Collegium Canonicorum Metropolitanorum, secundum praescripta legum ecclesiasticarum, ubi primum fieri poterit, instituat. Unus ex Canonicis primus esto in Collegio, Archidiaconi dignitate auctus; duoque canonice eligantur, quorum alter Theologi, alter Poenitentiarii officium gerat. Seminarium Carthaginiense educendis sacrorum alumnis perpetuo addictum sit. — Per interregnum administratio Archidioeceseos geratur secundum praescripta Litterarum Apostolicarum Benedicti XIV *Ex sublimi* et *Quam ex sublimi*.

De Ecclesiis Suffraganeis, de finibus describendis, itemque reliquis de rebus, quae ad perfectam Archidioeceseos constitutionem pertineant, integrum Nobis esse volumus id quod expedire videbitur opportune decernere. — Demum Venerabili Fratri Nostro Carolo Martiali S. R. E. Cardinali Lavigerie Archiepiscopo Algeriensi, Administratori Tunetano, mandamus ut ea omnia, quae his continentur Litteris Nostris, exequatur: idque vel per se, vel per interpositam personam in ecclesiastica dignitate constitutam.

Volumus autem omnia et singula, quae per has Litteras decrevimus, firma, stabilia, rata, uti sunt, ita in omne tempus permanere: neque iis quidquam officere ullo modo posse, ne Nostras quidem et Cancellariae Nostrae regulas, quibus omnibus, horum decretorum gratia,

derogamus. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo quarto, quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI Pro-Datarius — F. CARD. CHISIUS

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
IOSEPHO S. E. R. PRESBYTERO CARDINALI NETO
PATRIARCHAE LISBONENSI ET AMERICO S. E. R. PRESBYTERO
CARDINALI FERREIRA DOS SANTOS SILVA
EPISCOPO PORTUGALLIENSI, AC VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGIONIS LUSITANAE.

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII NOSTRI ET VEN. FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratissimae Nobis fuerunt litterae quas ad Nos unanimi affectu dedistis, testes observantiae vestrae erga hanc Apostolicam Sedem, ac venerationis et obsequii quo Epistolam Nostram Encyclicam, cuius initium « *Humanum genus* » die vigesima Aprilis hoc anno editam excepistis. Perspeximus enim ex iis vos penitus agnoscere ac deplorare gravissima damna quae ex pernicioso massonum foedere in Ecclesiam et civilem societatem dimanant, ac in tanto certamine studium illud gerere gloriae Dei et salutis animarum, quod Pastoralis vestri ministerii sanctitas omnino a vobis exposcit. Hoc profecto sacerdotali zelo nihil Nos dignius et opportunius existimamus, cum videamus quantopere intersit sacros Pastores animis in ca-

ritate Christi, in sana doctrina, in sincero erga Apostolicam Cathedram obsequio coniunctis vigilare hoc tempore atque operam dare ne Christi Fideles ex insidiis illorum detrimentum capiant, qui artibus suis nituntur ut filii lucis ab ovili Christi abducti, sub potestate tenebrarum vincti teneantur. Qua in re dum vestrae virtutis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, gloria elucet, magna etiam apud aeternum Pastorum principem retributio vos manet, cum religionis causae tuendae Nobiscum adlaboretis Eius voluntatem implentes, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, quique vobis dedit ut in sublimi ministerio quod geritis pro ipso legatione fungamini atque Eius praelia praeliemini. Nos itaque vobis pro sacerdotali vestro animo et studio impense in Domino gratulamur, ac ipsum fervidis precibus rogamus, ut virtutem vobis ad sancta munera vestra implenda in dies magis adiiciat, omnesque actus vestros in dioecesium vestrarum bonum iugiter dirigere et fortunare dignetur. Sperantes Ipsum haec vota Nostra ad sui nominis gloriam benigne excepturum, in auspicium gratiarum eius et in pignus praecipuae Nostrae dilectionis, Apostolicam Benedictionem vobis singulis universis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, nec non clericis et fidelibus universis quibus praesidetis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Novembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO ARCHIEPISCOPO BONONIENSI.
BONONIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quas litteras tuae dilectionis et observantiae testes die 18 huius mensis ad Nos dedisti, libenti eas laetoque animo excepimus. Magno enim gaudio Nobis fuit ex iis agnoscere pias curas, quas animarum curatores aliique rectores Ecclesiarum e civitate ista aliisque istius dioecesis locis contulere, ut indictae a Nobis Rosarii preces elapso Octobri mense Deiparae Virgini a fidelibus haberentur, et praeclarum ac flagrans studium quo fideles isti ex omni ordine Nostris votis respondentes, oblata occasione certatim usi sunt, ut Sanctam Dei Matrem colerent, eiusque praesidium sibi et Ecclesiae tot iactatae fluctibus frequenti ad templa concursu implorarent. Iure ac merito, Ven. Frater, haec eximia pietatis argumenta a tuo grege exhibita te tuosque cooperatores ad divinam boni-

tatem suspiciendam et celebrandam impulerunt; ac Nos ipsi facere non possumus, quin vobiscum confiteamur Domino, Eique debitam gloriam gratiamque pro huiusmodi suae benignitatis donis tribuamus. Si enim Eius munere factum est ut hortationes Nostrae tam pronis et studiosis animis a fidelibus exciperentur, atque hac occasione tam luculenter avita eorum fides et religio fulgeret, id magnae causae Nobis est ad spem Nostram magis magisque confirmandam, qua fore confidimus ut optatos benignitatis Eius fructus, conciliatrice Deipara, in hoc certamine quo fungimur, plene ac feliciter referamus. Interea tuis cooperatoribus et fidelibus pro eximiis zeli ac pietatis ipsorum testimoniis impense in Domino gratulamur, officiumque tuum, quo haec Nobis significanda curasti, gratissimo prosequimur animo, divinam clementiam ex corde rogantes, ut te ac universum tuum gregem propitia semper respiciat, ea quae operata est in vobis confirmet solidetque, ac opera pietatis vestrae suorum donorum et gratiarum incrementis remuneretur. Sperantes Deum benignissimum ad gloriam nominis sui haec vota Nostra rata habiturum, Apostolicam Benedictionem, in pignus peculiaris benevolentiae Nostrae et in auspicium divini praesidii, tibi, Ven. Frater, et universo clero ac fidelibus quibus praesides peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Novembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
FRANCISCO GREGORIO BILLINI PRAESIDI REIPUBLICAE
DOMINICIANAE.
DOMINICOPOLIM (SANTO DOMINGO)

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libenti benevoloque animo officium excepimus, quo Nobis litteris datis die 9 elapsi Septembris significasti, te istius Dominicianae Reipublicae Praesidem legitimis tuorum civium suffragiis esse renunciatum, ac die prima eiusdem mensis iuramento de more edito istius Reipublicae gubernacula suscepisse. In hoc enim tuarum litterarum officio, tum studii tui erga catholicam religionem significatio, tum devota tua erga hanc Apostolicam Sedem voluntas Nobis luculenter enitebat. Cum porro nihil sit Nobis antiquius, Dilecte Fili Nobilis Vir, quam ut ea concordiae vincula rite serventur et in dies magis confirmentur, quibus extera gubernia huic Apostolicae Sedi iunguntur, illud studium quod in hac re tuis litteris pro-

fiteris plurimum commendamus, firmiterque confidimus fore ut te istic auctoritatem tuam ad Ecclesiae praesidium conferente, ea omnia quae ad religionis utilitates pertinent, quaeque cum ipsa prosperitate reipublicae coniuncta sunt faustum capiant incrementum. Hac fiducia freti tibi a Deo optimo maximo, quo auspice terrarum magistratus et potestates prospere administrantur, plenitudinem caelestium gratiarum ad commissam tibi potestatem feliciter gerendam ex animo imploramus, et benevolentiae Nostrae testimonia, uti optas, tibi, ubi occasio se offerat, libentissime collaturi, Apostolicam Benedictionem Nostrae dilectionis testem tibi, Dilecte Fili Nobilis Vir, et universae isti cui praesides genti peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Novembris 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALEXANDRO PIDAL Y MON.

MATRITUM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quanto Noster in sanctum Thomam Aquinatem maior est amor, tanto accepimus libentius tuum de tanti viri vita, doctrina, multiplicique virtute Commentarium. In quo sane quidquid est a te diligentiae positum et laboris, iucundam habet remunerationem, nec solum ex laude, quam inde te verisimile est cepisse, sed etiam ex sperata utilitate communi. Non enim dubitamus, quin labor iste tuus profuerit itemque in posterum profuturus sit nominatim Hispanis, qui memoriam adamant Doctoris Angelici, et in quibus Thomistica philosophandi ratio sectatores ingeniosos et doctos omni tempore invenit. Qua re nihil fere Nobis potest optatius contingere: saepe enim et non una ratione declaravimus, quanti ad incrementa studiorum optimorum simulque ad salutem publicam interesse putemus,

Thomam Aquinatem in pristinum honoris et dignitatis gradum restitui. Itaque gratulamur tibi, dilecte fili, quod vires ingenii tui in argumento tam nobili tamque fructuoso exercueris: perspectâque sapientia simul et pietate tua, pro certo habemus futurum ut quae vera sunt, quae praeclara, maxime vero quae ad laudem virtutis doctrinaeque christianae pertinent, ea pergas tibi in scribendo proponere: tunc enim merito laudatur elegantia doctrinae, cum utile est quod scribitur. Interea caelestium munerum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Decembris anno MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

EUGENIO EPISCOPO BASILEENSI.

AUGUSTAM RAURACORUM

(SOLOTHURN)

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Litteras legentes a Te datas nobilissimos tui obsequii et devotae voluntatis sensus erga Nos et hanc Apostolicam Sedem magna cum voluptate perspeximus, ex quibus enitebat simul tuus sacerdotalis animus ac singulare studium quod te ad rationes religionis et bonum spirituale tuorum fidelium curandum incendit. Vehementi enim desiderio affectus, Venerabilis Frater, ut quantum in te est religiosae paci instaurandae in ista dioecesi operam naves, animumque erigens ad eas cogitationes quae humanarum rerum rationes excedunt, ac huius Apostolicae Sedis consiliis inhaerens, praetulisti more exemploque plurium illustrium Ecclesiae Antistitum ab istius tuae Basileensis sedis procuratione recedere, quam pati importunam eam rerum conditionem istic vigere, quae tibi moerori erat, et bonis omnibus iamdudum non levem molestiae causam afferebat. Hoc luculentum sacerdotalis tuae

virtutis specimen haudquaquam mirum accidit Nobis, cum pluribus ab annis tum egregias tui animi laudes spectatas penitus et cognitas habeamus, tum salutaria quae praestitisti opera ut crediti tibi gregis utilitati consuleres. Hinc est, Venerabilis Frater, quod dum ex una parte dimissionem tuam istius Basileensis sedis excipimus ratamque habemus unice spectantes ut pacis fructus isti Dominicae vineae parti redditos videamus, ex altera cum aequo animo ferre non possimus ut Catholica Ecclesia in ista Helvetica regione tuae operae utilitate privetur, aliud tibi munus gravis apud Nos momenti demandandum censuimus, ut nempe Apostolici Administratoris titulo ac iure fidelibus Pagi Ticinensis regendis tuas curas impendas. In hoc novo qui patet tuae sacrae procurationi campo, eximia pietate filios invenies tuis obsequentes iussis, invenies surgentes piarum institutionum segetes quibus alendis augendisque sollers ac nava sollicitudo accedat oportet Antistitis doctrina et rerum usu praestantis, iisque ornamentis praediti quibus te divino munere ornatum esse cognoscimus. Ita datum tibi erit Ecclesiae et illustri tuae Patriae, sicut hactenus fecisti, in posterum etiam operam tuam sapienter fructuoseque navare.

Quo vero peculiare ac meritum tibi pignus benevolentiae Nostrae praebeamus, te in praeclarissimum Ordinem Pontificum Maiorum cooptare et Damiatensis Ecclesiae titulo honestare decrevimus, qui titulus Nobis olim a fel. rec. Gregorio XVI Decessore Nostro delatus cum Belgicae legationis munus Nos obire voluit, carissimus

Nobis est, cum memoriam Nobis revocet eorum temporum quibus primum coepimus sacerdotalibus laboribus in Apostolicae Sedis ministerio perfungi. Erit hoc quidem novum argumentum, quo ea vincula quae fraternitatem tuam ob existimationem et dilectionem erga te Nostram antea Nobis devinciebant, novam deinceps firmitatem et robur accipiant.

Decessorum praeterea Nostrorum exemplis insistentes, qui ad praestantia illustrium Antistitum merita honestanda eos interdum Pallii Archiepiscopalis honore decorandos censuerunt, huius pastoralis honoris insigne tibi, Venerabilis Frater, singulari privilegio ultro tribuimus ad proprium et peculiare eximiarum virtutum tuarum ornamentum et praemium.

Fervidis demum votis Deum adprecamur, ut animum tuum consolationum suarum suavitate perfundat diesque tuos omni animi et corporis prosperitate cumulet, ut diu fulgeat tuarum virtutum lumen inter catholicas gentes quarum spirituale regimen pro demandato tibi munere es suscepturus. Horum autem caelestium munerum auspex et pignus praecipuae dilectionis Nostrae sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, ex intimo corde, nec non universo Clero et fidelibus Basileensis Ecclesiae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XVIII Decembris MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PRIORATUS MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS IN NOVARCENSI FOEDERATARUM AMERICAE DITIONUM DIOECESI A SANCTA MARIA NOMINATUS IN ABBATIAM ERIGITUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Per Venerabiles Fratres Nostros S. E. R. Cardinales Consilio fidei propagandae praepositos, excepimus preces dilecti filii Bonifacii Wimmer Archiabbatis Monachorum illustris Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, quibus supplicatur, ut Monachorum eiusdem Ordinis et Congregationis Prioratum in Novarcensi Foederatarum Americae ditionum dioecesi institutum, cui a Sancta Maria nomen factum est, Apostolica Auctoritate Nostra ad honorem dignitatemque Abbatiae evehere velimus. Non mediocri quidem in tantis angustiis Nostris affecti sumus laetitia, intelligentes zelo et opera praefati dilecti filii Bonifacii eumdem Prioratum in memoratis regionibus fundatum esse, eumque singulari illius cura, studio et sollicitudine tum Monachorum numero, tum satis congruis

redditibus, tum aliis florere commoditatibus. Quae quum ita sint et huiusmodi dignitatis et honoris accessio valde religiosi instituti incremento profutura videatur, praedicti Archiabbatis precibus annuendum existimavimus. Omnes igitur et singulos, quibus hae Litterae Nostrae favent, peculiari benevolentia complecti volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, Prioratum Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis in Novarcensi foederatarum Americae ditionum dioecesi, a Sancta Maria nominatum, in Abbatiam haud exemptam, seu absque territorio nullius dioecesis, perpetuo erigimus, ea semper servata lege, ut canonica Abbatis electio fiat iuxta Constitutiones pro Congregatione Bavarica Apostolicis fel. rec. Innocentii PP. XI Litteris « Circumspectio et militantis Ecclesiae » approbatas et iuxta ea, quae in aliis Litteris sa. me. Pii IX Decessoris Nostri die XXIV Augusti anno MDCCCLV datis praescribuntur. Abbati autem legitime electo ea competere iura et privilegia volumus, quae per memoratas Constitutiones Abbati non exempto tribuuntur; quod vero ad eiusdem Abbatis insignia et honores, decretum fel. rec. Alexandri VII Praedecessoris Nostri, die XXIX Septembris anno MDCLIX editum, servari iubemus. Decernimus denique has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros ef-

fectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. E. R. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Decembris MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

PRO DOMINO CARDINALI CHISIO

A. TRINCHIERI Substit.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PRIORATU MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS CASSINENSIS
A S. MARIA AUXILIATRICE APPELLATO
ET INTRA APOSTOLICI VICARIATUS CAROLINAE SEPTENTRIONALIS
LIMITES POSITO IN ABBATIAM ERIGENDO.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Honoribus et dignitatibus ea libenti animo augere solemus pia instituta, quorum auctores religionis provehendae studio, sempiternaeque animarum salutis zelo agantur, ut eadem instituta editiori per honores in loco posita latius, quae in Dei gloriam et dominici gregis faciant salutem, circumspiciant. Novimus cum animi Nostri gaudio in Vicariatu Apostolico Carolinae Septentrionalis, zelo dilecti filii Bonifacii Wimmer Archiabbatis Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Prioratum eiusdem benemeriti Ordinis et Congregationis institutum esse, praedictique Archiabbatis cura et studio, illum Monachorum numero, satis congruis redditibus aliisque commoditatibus vigere. Modo per Venerabiles Fratres Nostros S. E. R. Cardinales Consilio propagandae fidei praepositos excepimus

preces memorati Archiabbatis, quibus supplicatur ut supradictum Prioratum, cui a Beatissima Virgine Maria Auxiliatrice nomen factum est, Auctoritate Nostra ad honorem dignitatemque Abbatiae evehere velimus. Nos expensis mature omnibus una cum dictis Venerabilibus Fratribus Nostris, huiusmodi precibus de consilio etiam eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum annuendum, in eiusdem religiosi instituti utilitatem, censuimus. Quapropter omnes et singulos, quibus hae Litterae favent, peculiari benevolentia complecti volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, Prioratum Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis a S. Maria Auxiliatrice appellatum, intra Apostolici Vicariatus Carolinae Septentrionalis limites existentem, in Abbatiam haud exemptam erigimus, ea tamen servata lege, ut canonica Abbatis electio fiat semper iuxta Constitutiones pro Congregatione Bavarica Apostolicis fel. rec. Innocentii PP. XI Litteris « Circumspectio, et militantis Ecclesiae » approbatas, et iuxta ea, quae in aliis Litteris sa. me. Pii IX Decessoris Nostri die XXIV Augusti anno MDCCCLV datis, praescribuntur. Legitime autem Abbati electo, ea competere volumus iura et privilegia, quae per memoratas Constitutiones Abbati non exempto tribuuntur; quod vero ad eiusdem Abbatis insignia et honores, servari iubemus decretum fel.

rec. Alexandri VII Praedecessoris Nostri die XXIX Septembris anno MDCLIX editum. Denique decernimus has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. E. R. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus, licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis, quibuscumque.


Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Decembris MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

PRO DOMINO CARDINALI CHISIO

A. TRINCHIERI Substit.

INDEX

MDCCCLXXXIV




HARVARD COLLEGE
CONSERVED
LIBRARY

